



Dissertatio de Sex. Pompeio Magno Cn. Magni F.

<https://hdl.handle.net/1874/325353>

DISSERTATIO

DE

SEX. POMPEIO MAGNO CN. MAGNI F.

DISERTATIO

SEX. POMPEIO MAGNO QVI. MAGNI P.

DISSERTATIO

DE

SEX. POMPEIO MAGNO CN. MAGNI F.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SIMONIS KARSTEN,

PHIL. THEOR. MAC., LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ISAACUS DORN SEIFFEN,

RHENO-TRAIECTINUS.

A. D. XIII M. IUNI, A. MDCCCXLVI, HORA I.



TRAIECTI AD RHENUM,

APUD J. G. BROESE,

MDCCCXLVI.

DRABBY, TIO

SEY. FORTIFIED MAGNO. CA. WAGEN R.

THE GREAT AND MIGHTY

OF THE GREAT AND MIGHTY

OF THE GREAT AND MIGHTY

SIMON'S KASTEN

OF THE GREAT AND MIGHTY

TYPE K. J. GIBEN.

GERARDO DORN SEIFFEN,

ORDINIS LEONIS NEERLANDICI EQUITI,

PHILOSOPHIAE THEORETICAE MAGISTRO, LITERARUM HUMANIORUM IURISQUE UTRIVSQUE DOCTORI,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA LITERARUM HUMANIORUM LECTORI,

GYMNASII RECTORI,

REGII INSTITUTI BELGICI ORDINIS SECUNDI SOCIO,

REGIAE GÖTTINGENSI, TRAIECTINAE, ZELANDICAE, LEIDENSI

ALIISQUE ARTIUM ET DOCTRINARUM SOCIETATIBUS ADSRIPTO,

PATRI OPTIMO CARISSIMO,

MARIAE JOHANNAE DANCKERTS,

MATRI CARISSIMAE DULCISSIMAE

ET

PIAE GRATAEQUE MEMORIAE

JACOBAE ARNOLDAE ALEXANDRINAE GERARDAE VAN BLANKENDAAL SCHUTT,

SACRUM.

GERMANY BORN SETTLERS

THE HISTORY OF THE GERMAN BORN SETTLERS IN THE UNITED STATES OF AMERICA, FROM THE FIRST SETTLEMENTS TO THE PRESENT TIME. BY JOHN H. COOPER, ESQ., OF NEW-YORK.

THE HISTORY OF THE GERMAN BORN SETTLERS

IN THE UNITED STATES OF AMERICA, FROM THE FIRST SETTLEMENTS TO THE PRESENT TIME. BY JOHN H. COOPER, ESQ., OF NEW-YORK.

PRAEFATIO.

De Sexto Pompeii scribendi consilium equidem iam, suadente Clarissimo Promotore, ceperam, quum nondum mihi innotuerat Drumanni opus: Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung. Et sane, meo modo res secundum veterum testimonia perscrutatus, quum Drumanni opus eximium adhiberem, quantum meae dissertationi ad laudem illius deesset, intellexi; nolui tamen institutum deserere; quodsi forte etiam nonnihil, sit parvum licet, protulero, quod vel ad explendum vel ad emendandum illius opus pertinere videatur, me meae operae non poenitebit. Quam tamen ne ita perfecerim, ut volueram, prohibuit morbus adamatae puellae, prohibuerunt acerbissima et illius et brevi spatio insecuta sororis carissimae funera.

Quae tibi quoque, Pater optime, quam acerba fuerunt! Et tamen Te appellans, non omnia mihi tristia evenisse sentio; Te enim patrem superstitem habeo, amicum,

studiorum auctorem et adiutorem. Ut Tuus amor me consolatur, sic mea pietas Tibi sit solatio. Servet Te mihi caeterisque Tuis diu Deus.

Vestrum quoque maximi facio, Cl. van Goudoever et Karsten, auxilium, qui et publica et privata institutione, benevolentia Vestra, consilio, opera, et meis studiis optime consulistis et mihi ipsi maxime prodesse voluistis: nulla dies unquam Vestris beneficiis me indignum reperiat.

Reliquorum quoque Praeceptorum, quos vel in Gymnasio huius urbis vel in hac Academia habui, quorum iam haud pauci ad beatorum regiones abierunt, vel praesentem amicitiam vel memoriam gratus animo mecum ipse persequor.

Cunctis qui in hac dissertatione scribenda auxilium quodcumque mihi non denegastis, gratias magnas ago.

Vos tandem, fidi, sinceri amici, vivite felices et mei memores; vestri memoriam nec tempus, nec locus ullus delebit. Idem boni verique amor, qui nos adhuc coniunxit, coniungat perpetuo.

Caeterum aequum lectorem rogo, ut operarum vitia quae irrepserint, tacite emendet, et simul ea quae scripsi in diss. pag. 112, corrigat ad ea, quae inferius pag. 151 leguntur.

*Scripsi Traiecti ad Rhenum,
m. Junio a. CXCXCCCXXXVI.*

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

	Pag.
Praefatio	I
CAPUT I. IUDICIUM DE FIDE EORUM, QUI DE SEX. POMPEIO SCRIPSERUNT,	
ET DE FONTIBUS, EX QUIBUS HAUSERUNT..... I	
§ 1. De Cicerone	1
§ 2. De Belli Hispaniensis auctore	3
§ 3. De Horatio	4
§ 4. De Strabone	—
§ 5. De Livio	—
§ 6. De Velleio Paterculo.....	5
§ 7. De Lucano	8
§ 8. De L. Annaeo Seneca.....	9
§ 9. De C. Plinio Secundo.....	—
§ 10. De Cornelio Tacito.....	—
§ 11. De Plutarcho	—
§ 12. De Suetonio	10
§ 13. De L. Annaeo Floro	—
§ 14. De Appiano et Dione Cassio.....	—
§ 15. " "	13
§ 16. " "	14
§ 17. " "	19
§ 18. Inquiritur in annum Sex. Pompeii natalem.....	26
§ 19. De Sex. Aurelio Victore et Eutropio.....	29
§ 20. De Paulo Orosio.....	—
§ 21. De Joanne Zonara.....	—

CAPUT II. SEXTI POMPEII VITA.

Ann.	ann.	ann.	Pag.
U. c.	a. C. n.	aelat.	
679	75		Sex. Pompeius Magnus nascitur patre Cnaeo Magno et matre Mucia..... 30
			Genus plebeia. — unde oriunda..... —
			Matris vita et parentes..... 31
692	62	13	Pompeius Magnus cum ea divortium facit... —
			Frater Cnaeus. — Sororis vita..... 33
			Patre adversus Sertorium profecto, nascitur Sextus..... —
			Pius dicitur. — Unde. — Eius praeceptor... 34
687	67	8	Piratico patris bello non adest..... —
706	48	27	Nec Pharsalico proelio, ut Lucanus canit; sed in Lesbion cum matre ablegatur..... 35
			Cnaei fratris iis temporibus res gestae..... —
			Matris et liberorum fuga post cladem Pharsalicam..... 36
			Patris bona. — distracta. — emtores..... 37
707	47	28	Medio fere anno Cnaeus Uticam relinquit et in Hispaniam contendit..... 39
			Sed morbo in insula Ebusa retinetur..... 40
708	46	29	Ad ipsam continentem appellit, ubi Imperator eligitur..... —
			Sextus post cladem ad Thapsum, mense Aprilii, cum aliis se illi adiungit. Augentur vires mirum in modum..... —
			C. Didius cum classe a Iulio Caesare contra eos emittitur, qui..... 41
			Varum proelio vincit..... —
			In terra ab aliis legatis nihil agitur..... —
			Mediterranea Hispania fere tota Cnaeo Pompeio paret..... 42
			Uliam obsidet. — Exeunte eodem anno Iulius Caesar advenit, et adversus Sextum, qui Cordubam tenebat, se convertit..... —
709	45	30	Eodem proficiscitur Cnaeus..... —
			Caesar Ateguam iter facit..... 43
			Rursus sequitur Cnaeus..... 44
			Sed post varia proelia minora Cordubam redit. 45
			A. d. 11 Cal. Mart. Ategua a Caesare occupatur..... —
			Quofacto Cnaeus Ucubim versus castra ponit. 46
			Ucubim relinquit a. d. 3 Non. Mart..... 47
			Tandem a. d. 15 Cal. April. ad urbem Mundam proelium acre commissum est. — Huius descriptio..... —
			Cui non interest Sextus, qui Cordubam tenebat..... 49
			Quam urbem noctu relinquit. — Cnaei fuga. 50
			Cnaei mors. — Eius caput prid. Id. Apr. Hispali exponitur..... 51
			Caesar urbibus potitus, Romam redit. — Eius triumphus Romanis ingratus..... 52

CAPUT III.

Sextus in gente Lacetanorum se abdiderat. — Paullatim accretis eius opibus, in Baeticam re-

Ann. U. c.	ann. a. C. n.	ann. aetat.	Pag.
			greditur..... 53
			Tandem Carrinas contra eum mittitur. —
			Nulla eventu..... 54
710	44	31	Cui succedit Asinius Pollio. — Caesar Id.
			Mart. interficitur..... —
			Sextus nonnullas urbes capit..... —
			Pollionem proelio fugat. — Imperatorem se
			dicat. — Romae conditio et sollicitudo..... 55
			Sexti literae ad Coss. et ad Libonem..... 57
			Eius Romam redeundi desiderium. — Lepi-
			dus a Senatu de pace ad eum mittitur..... —
			Quibus conditionibus ea componatur. — Cum
			classe et exercitu Massiliam decedit..... 58
711	43	32	Cicero augurem eum cooptare vult, et mense
			Martio exeunte S. C. collaudandum censet. —
			Legati Massiliam ad Sextum missi. — Ob quam
			causam. — Quo successu..... —
			Classis et orae maritimae imperium S. C. illi
			decretum..... 59
			Mense Octob. ab Octaviano inter Iulii Caesa-
			ris percussores damnatur et proscribitur. — Ini-
			tio victus tantum gratia, postea iracundia motus
			in mari latrocinatur. — Exeunte anno duobus
			Siciliae urbibus potitur..... 60
			Messanam, a Pompeio Bithynico defensam
			expugnat. — Augentur eius vires..... 61
			Imperatorem iterum se appellat (pag. 151).
			Multos cives proscriptos servat. — Quam ob
			causam corona quereca numos ornat. — Octa-
			vianus tandem eum aggredi statuit..... 62
712	42	33	Salvidienus classis praefectus eum ab Italia
			reiecit, sed in freti traiectu clade afficitur... 63
			Octavianus in Macedoniam proficiscitur. — Sex-
			tus Bithynicum interficit. — Neptuni filium se
			vocat. Nihil tamen amplius e victoria illa sibi
			lucrat..... 64
			Neque e Philippensi proelio. — Ingens tamen
			fugitivorum multitudo ultro ad eum venit. —
			Inter quos Staius Mureus cum magna classe et
			pecuniis. — Sexti segnities. — Liberti classibus
			praefecti. — Eorum nomina..... 65
713	41	34	Dissentibus Octaviano et L. Antonio cum
			Fulvia, Urbem fame premere et Italiam vexare
			pergit..... 66
714	40	35	Perusia capta, multi et Tib. quoque Claudius
			Nero ad eum confugiunt, quem asperse excipit. —
			Iuliam vero, Antonii matrem, honorifico ad
			filium ablegat, qui societatem oblatam recusat. 67
			Octavianus cum Scribonia matrimonium init. —
			Huius causae..... 68
			Antonii hortatu Sextus invadit Italiam. — Et
			duas urbes oppugnat..... —
			Pace inter Octavianum et Antonium restituta,
			Sextus revertitur et Menam mittit in hostium re-
			giones, qui M. Titium vivum capit. — cui venia
			datur. — Huius causa. — Menas deinde Sardin-
			iam occupat..... 69
			Helenum Octaviani libertum gratis remittit. —
			Romae conditio. — Vectigalia. — coitiones... 70
			Populus Sexto sub imagine Neptuni applau-
			dit. — Seditio..... —
715	39	36	* Libo e Sicilia vocatur veluti legatus de

Ann. U. c.	ann. a. C. n.	ann. aetat.	Pag.
			pace. — Mucia ad filium de pace ire cogitur. — De colloquio inter Octavianum, Antonium et Pompeium statuitur. — Hic a Mena ad bellum incitatur. — Interficit Statium Murcum..... 71
			Puteolos navigat et ad colloquium conveniunt; sed infecta re discedunt..... 72
			Per interruentios tamen de conditionibus agitur. Iterum conveniunt..... 73
			Pacis condiciones..... 74
			Laetitia ex illa pace orta..... 75
			Multos et nobilissimos viros reipublicae restituit..... 76
			Conviviis se invicem excipiunt. — Scitum Pompeii responsum. — Menae consilium inter convivium. — Quod tamen fictum videtur..... 77
			Sequentibus diebus ab Antonio et Octaviano excipitur. — Pompeii filia desponsa M. Marcello. — Consules in quadriennium designati. — Horum distributio..... 78

CAPUT IV.

			In suam quique ditionem redeunt. — Totius Italiae lactitia. — Exsules quoque redeunt... 79
			Foederis ruptae causae et initia. — Octaviani cum Scribonia divortium..... 80
			Octavianus criminatur Pompeium. — Antonius etiam mala fide agit. — Pompeius e contrario Octavianum criminatur. — Pompeius bellum parat. — Piratae torti Pompeium ipsos misisse confitentur. — Quod Octavianus pervulgat... 81
716	38	37	Menae transfugium bellum provocat. — Quomodo hic in suspicionem venerit..... 82
			Octavianus foedus ruptum esse indicans, Antonium Lepidumque arcessit. — Quorum hic non statim paret. — Antonius in Italiam venit, sed quum Octavianum ibi non inveniret, in Graeciam revertitur. — Eius literae ad Octavianum..... 83
			Octavianus, receptis, quae Menas prodiderat, ad bellum se accingit. — Menam ipsum honorifice excipit. — Quem Pompeius reposit. — Octaviani responsum. — Hic paratas naves Tarentum adduci iubet..... 84
			Octavianus rumores tollere conatur. — Omnibus paratis solvunt Octavianus Tarento, et Calvisius ac Menas ex Etruria, ut Rhegium cum exercitu pedestri conveniant. — Pompeius his opponit Menecratem, qui Italiam vexat; ipse Octaviano Messanae praestolatur. — Menecrates Calvisio obvius fit..... 85
			Calvisius naves sub terram ducit. Menae et Menecratis certamen. — Huius mors..... 86
			Demochares, alius Pompeii legatus, Calvisii naves capit, aut fugat. — Pompeiani superiores facti. — Demochares tamen ad Siciliam navigat, et classi praeficitur cum Apollonane..... 87
			Octavianus Pompeium offendit, non tamen aggreditur. — Huius rei causae. — Calvisio obviam ire parat; sed eum Columnam Rheginam vix praestervectum invadit Pompeius. — Octaviani

Ann. U. c.	ann. a. C. n.	ann. aetat.		Pag.
			trepidatio.....	88
			Octavianus cladem patitur. — In terram effugit.....	89
			Caeteri duces tamen hostes adoriuntur et repellunt. — Calvisius et Menas adnavigantes a Pompeianis conspiciuntur. — Misere Octavianus in monte pernoctat.....	—
			Postridie reparat necessaria. — Meridie auster exortus. — Pompejus iam intra Messanae portum erat. — Octaviani naves turbatae et collisae. — Calvisii et Menae naves minus laesae. — Hic consuetudine rei maritimae peritior erat.....	90
			Reliqua classe tempestate insolita maximopere laesa. — Octavianus Sicilia potiundi spem abiicit, et rebus in Italia prospicit.....	91
			Pompeius Neptuno sacra facit atque victoria uti nescit. — Octavianus aegre animo affectus.	92
			Maccenatem ad Antonium, et fortasse etiam Menam ad Lepidum mittit. — Liparense Neapoli habitare cogit. — Antonius promittit auxilium. — Agrippae victoria de Aquitanis. — Mire rem suam restituit Octavianus.....	93
			Agrippa classi instruendae praefectus, Avernum et Lucrinum lacum cum mari coniungit, ibique classarios exercet.....	94
717	37	38	Antonius cum classe Tarentum appulsus aegre tandem ab Octaviano colloquium impetrat. — Legionum cum navibus permutationem faciunt. — In novum quinquennium sibi potestatem prorogant, et Sexto Pompeio, quae illi destinata fuerant, consulatum et sacerdotium adimunt. — Antonius in Syriam abit.....	95
718	36	39	Menas ad Pompeium rursus transfugit. — Octaviani classis imperium, Calvisio adentum, Agrippae traditur. — Calend. Iul. solvunt: Octavianus Puteolis, Lepidus ex Africa, Statilius Taurus Tarento. — Quare hic dies electus fuerit. Lepidi copiarum numerus. — Eius consilium.....	96
			Lepido Pompeius Plennium opponit; orientale et occidentale Siciliae litus insulasque munit. Messanae ipse stationem agit. — Statilii Tauri navium numerus. — Octaviani classis. — Appius Claudius agmen cogit.....	97
			Tertio postquam solverant die, ventus vehemens Lepidi onerarias multas subvertit. — Plennium intra Lilybaeum oppugnat. — Vento orto Statilius Taurus Tarentum revertitur; Appii Claudii navium magna pars perit. — Octavianus in Eleatico sinu antea tutus, postea mutato vento, magno damno afficitur.....	98
			Octavianus omnia pro viribus reparare conatur. — Pompeius magis etiam animo elatus, nullum ex hac calamitate utilitatem capit....	99
			Quum tamen audivit Octavianum denuo aggressurum esse, Menam in eum immittit. — Hic rursus transfugere parat, sed prius virtutis specimen edere statuit.....	100
			In Octaviani naves repente irruit, quarum partem capit aut incendit. — Horum enarratio. — Caninium Rebilum demittit. — Cum Mindio Marcello colloquium petit. — Cui sese	

Ann.	ann.	ann.	Pag.
U. c.	a. C. n.	aetat.	
			in fidem Messalae Agrippae absentis vicario, traditurum esse promittit 101
			Messala tandem concedit. — Octavianus salutis veniam concedit. — Postea in Pannonia occidit. — Parata classe Octavianus rursus solvit, et legiones in extremum fretum mittit. — Statilius Taurus Tarento solvit Tauromenium traiecturus 102
			Pompeius omnes insulae aditus custodiis tenet. — Papias s. Demochares Lepidi exercitum ex Africa in Siciliam navigantem, magna clade afficit. — Deinde ad Pompeium navigat. — Octavianus cum tota classe in Aeolicas insulas traiecit 103
			Pompeium circa orientalem Siciliae litus adesse coniciens, Agrippa classi praefecto relicto, cum Statilio Tauro absente Pompeio Tauromenium occupare cogitat. — Agrippa Hieram capit. — Eius consilium a Pompeio perspicitur. — Ex Hiera solvit, cum dimidia navium parte. — Ut tamen magnam hostium copiam videt, caeteras advocat 105
			Proelium committitur. — Huius descriptio 105
			Democharis navis ab Agrippa submergitur. — Ille in aliam recipitur. — Pompeius tandem suis redendum signum dat 106
			Agrippa acrius instante in vadosum litus fugiunt, quo Agrippa eos secutus non est. — Huius proelii eventus. — Pompeius tamen suos laudat, et quasi victores donat. — Suspensus Octavianum Tauromenium invasurum esse, Messanam revertens est. — Agrippa Tyndaridem frustra tentat; alia oppida eius praesidia recipiunt. — Octavianus eum classe et exercitu Tauromenium navigat. — Ubi tamen non recipitur. — Dum castra metatur, classis simul et pedestres Pompeii copiae utrinque conspiciuntur. — Equitatus castra munientes infestat. — Caeteri sub vesperam proelium inire non audent. — Caesariani vallum absolvunt 109
			Octavianus ante lucem cum navibus in altum provehitur. — Pompeius aggressus eum profligat 110
			Octavianus vix evadit, omnibus orbatus. — Ad Messalam transportatur. — Statim undique nuntiat incolumem se esse, et Cornificio opem ferre iubet 111
			Ad Columnnam Rheginam profectus Agrippae scribit ut Cornificio celeriter opem ferat. — Caetera administrat 112
			Cornificius, hoste frustra ad proelium provocato, iter septentriones versus ingreditur. — Huius difficilis itineris descriptio 113
			Tandem auxiliis ab Agrippa missis occurrit, et Mylas ad Agrippam evasit 114
			Agrippa interea Tyndaridem cepit. — Quo deinceps Octavianus copias suas traiecit. — Harum numerus. — Mylas quoque et fauces Mylenses dolo occupaverat Agrippa. — Pompeii vana consilia 115
			Pompeius Callum Tisienum ab occidentali insulae parte arcessit. — Octavianus huic obviam

Ann.	ann.	ann.	Pag.
U. e.	a. C. n.	aetat.	
			profectus a via aberrat. — Lepidum forte offendit, qui post Galli discessum ad Octavianum tendebat. — Ambo circa Messanam castra ponunt. — Suborta inter eos discordia. — Pompeius cogitur proelio de summa rerum decernere 116
			Etiam Octavianus rem componere cupit. — Lepidus iam cum Sexto consilia agitare dicitur. A. d. 3 non. Sept. prope Naulochum proslum committitur. — Quibusnam ducibus. — Proelii descriptio. 117
			Harpago 118
			Utrique terrestres exercitus certamen spectant. — Horum studium et ambitio. — Tandem Pompeiani cedunt et fugiunt. — Septentemion sulae effugiunt. — Apollophanes ceterique deditionem faciunt. — Demochares captus se interficit. — Pompeius Messanam se proripit . . . 119
			Terrestres quoque copiae sese tradunt. — Vicinarum navium numerus. — Pompeius Plennium a se arcessitum Messanae non exspectat, sed in Orientem ad Antonium tendit. — Plennius paullo post Messanam perveniens illam urbem tenet . . 120
			Hanc obsident Agrippa cum Lepido. — Plennio legatos de pace mittenti, Lepidus suo iure pacem concedit. — Huius et Plennii milites coniuncti Messanam diripiunt. — Cur Octavianus Pompeium secutus non sit. — Lepidus omni destitutus est potestate. — Octaviani praemia et poenae 121
			Reliquae eius administrationes. — Eius Ovationis Idib. Nov. — Eius honores. — Servorum fugitivorum poena 122

CAPUT V.

			Sexti Pompeii fuga et trepidatio. — Italiae oram legit. — Ad Corcyram et Cephaleniam defertur, ubi suorum nonnullos offendit. Deinde Lesbum iterum se contulit, ubi Mitylenes aliquantisper degit. — De Octaviani et Lepidi dissidio et de Antonii adversus Parthos expeditione certior fit. — Ibi hibernare statuit. — Sed Antonium victum audiens, imperii cupiditate rursus ardet. — Ad Antonium, sed simul ad Thraciae Pontique dynastas, immo ad Parthos legatos mittit 125
719	35	40	Naves reficit et socios navales exercet, et ad continentem invadendam se accingit. — Antonius ducem adversus eum designat M. Titium, cui quondam pepererat Sextus. — Ut resistentem vi reprimeret, ut vero pacate venientem honorifice adduceret. — Non multo post Sexti legati apud Antonium veniunt 126
			Eorum verba. — Antonii responsum. — Sexti legati ad Parthos missi, comprehensi ad Antonium ducuntur — Reliqui legati eum excusant. Quibus fidem habet Antonius 127
			Furnius, Asiae praefectus, Pompeium exceperat; eius vero consilio perspecto, Ahenobarbum et Amyntam cum exercitu arcessit. — Qua de re queritur Pompeius; sed eodem tempore Ahenobarbum captivum prehendere vult. — Pro-

Ann. U. C.	ann. a. Bh. n.	ann. aetat.	Pag.
			ditio detegitur. — Quo facto Lampsacum occupat; — Cyzicum frustra aggreditur.....128
			Inde in Troadem reversus a Furnio, eum equitum numero superante, vexatur. — Furnium castris eiecit et clade afficit. — Multi incolae eius militiam petunt. — Alam equitum Italicorum ad Antonium iter facientem corrumpere frustra conatur. — Nicaeam et Nicomediam occupat, et insperatis utitur successibus. — Ineunte vere, adveniunt e Sicilia septuaginta naves.....129
			Advenit etiam Syria e Titius cum multis navibus et magno exercitu. — Quo facto timore percussus Pompeius, navibus accensis, remiges armat. Nobilissimi quique eum relinquunt130
			Pompeius, in mediterranea Bithyniae loca secedit. — Secuti Furnius, Titius et Amyntas noctu profligantur. Sed Pompeius victoria uti nescit. Illi tres denno sequuntur, donec colloquium Furnii petat131
			Colloquium. — Quare Titio, cui tota res mandata erat, se tradere nollet. — A Furnio, et deinde ab Amynta ut accipiatur, orat; sed frustra. — Noctu denno clam se subducit, sed M. Aemilius Scaurus eius iter ingressum patefacit132
			Amyntas cum equitibus sequitur. — Ad quem appropinquantem Pompeiani transeunt. — Itaque se dedit. — Exercitu ad sacramentum Antonio adacto, Titius Sex. Pompeium interficit...133
			Variae de eius morte sententiae.....134
			CAPUT VI.
			Indicium de Sex. Pompeio135
			CAPUT VII.
			Explicatio numorum Sex. Pompeii149

CAPUT I.

DE SEXTI POMPEII VITAE FONTIBUS.

Antequam ipsam Sex. Pompeii vitam exponimus, nonnulla de scriptoribus, quorum testimoniis in ea describenda usi sumus, dicenda esse videntur, et quasi rationes reddendae, quare nobis scriptorum alius alio ob maiorem minoremve in eius rebus enarrandis fidem aut postponendus esse visus fuerit, aut alio magis minusve placuerit, ne temere vel male Sextum nostrum collaudasse vel reprehendisse videamur. Itaque primum, quoniam in iis diiudicandis, temporis, quo quisque eorum scripserit, ordinem servare statuimus, in CICERONEM, utpote qui nostri aequalis fere fuerit, inquiremus.

§ 1. Hic autem intimam cum Pompeio Magno amicitiam coluerat, totusque eo tempore huius partibus addictus fuerat, quapropter studio liberum atque aliud quam Sexto favens suffragium ferre non potuit. Sed etiamsi eius fidei historicae ideo non multum tribuendum videri possit, nec satis cautum et integrum sit

eius iudicium, nihilominus tamen magni aestimanda sunt eius verba, et quae maius quoddam pondus habeant digna, quia ipse, eorum temporum testis, in puerili et iuvenili Sexti aetate non solum unicus sed etiam unice versatur. Interfectus est enim anno ex-eunte 711 U. c., paullo post, quam Sextus fuerat pro-scriptus, quem ergo nisi puerum et deinceps iuvenem, Pompeii Magni exoptati filium, Romae per vi-ginti sex annos omnibus bonis et omnium fere favore gaudentem cognoscere non potuit. Eum rebus adver-sis, adversariorumque iniuriis exacerbatum, et iracun-dia motum, praeclara deinde patris et fratris facta suis facinoribus foedantem non vidit. Hinc lenis at-que haud severus Sexti indolis iudex nobis exstitit, quo vel maxime differt a reliquis scriptoribus. Ve-rum, quantacunque est haec iudicii discrepantia de adolescentia et virili Sexti aetate, tantum atque haud minus est discrimen, quod intercedit inter diversa haec eius vitae stadia. Dum enim Romae degit, opi-bus omnibusque bonis abundans, Magni Cn. Pompeii, auctoritate et nomine valentis, honoratissimi exopta-tissimique patris filius, placidam et claram egit iu-ventutem. At reliqua vita his prorsus contraria; opi-bus enim omnibusque bonis privatus, undique a Iu-lio Caesare reiectus et expulsus, modo viribus pollens, a Senatu publice revocatus, in fortunas patrias resti-tutus et maris imperio ornatus, modo rursus, quam-vis Iulii Caesaris caedis insons, ab Octaviano inter eius percussores relatus et proscriptus, tandem rebus prosperis elatus et superbus factus, degenerem et cru-delem se praebuit, atque imperandi libidini omnia posthabuit. Quid mirum ergo, si tanta inter Cicero-

nem, prioris aetatis laudatorem, et reliquos posterioris aetatis vituperatores differentia intersit?

Duplex fere de Sexto Ciceronis iudicium est; alterum, quale in Philippicis orationibus cernimus, in quibus animo indulgens, publice nimirum in visi Antonii libidinibus et sceleribus, Sexti probitatem, moderatorem, gravitatem, caeterasque animi dotes opponit; alterum, quale in epistolis ad Atticum deprehendimus, ubi Ciceronem ut amicum amico scribentem liberius et ingenue iudicantem animadvertimus. In his autem quamquam neque ex industria et insulse, neque omnino disertis verbis eum laudavit, tamen disseruit de eo tanquam de spectato et sibi caro iuvene, cuius res admodum ipsi curae sunt ¹⁾).

Pauca, quae de singulis Ciceronis locis dicenda habuimus, in ipsa Pompeii vita adscribemus.

§ 2. Sexti res gestae per annum, quo in Hispania cum Iulio Caesare armis contenderunt Pompeii, ante Cnaei interitum haud sane magnae fuerunt; ideo huius **BELLI HISPANIENSIS SCRIPTOR** multus in eius rebus enarrandis esse non potuit; pauca tamen, ab aliis non memorata, quibus fides non deest, illi debemus; uberior vero est in Cnaei rebus exponendis. Quae cuncta, quamvis barbaro et confuso sermone conscripta, propter manifestam rerum gestarum auctoris scientiam caeterorum scriptorum nonnunquam discrepantibus narrationibus anteponenda esse visa sunt. Illud

¹⁾ Non recte, ut mihi videtur, Drumann. in egregio opere: Geschichte Roms in seinem Uebergange u. s. w., IV, p. 562, ex Ciceronis epistolis, hunc et cum eo multos nobiles Romanos metuisse Sex. Pompeium opinatur. Cicero enim hunc non timuit, sed, ut fere per totam vitam, bellum civile imprimis perosus reformidavit.

enim ex hocce libro constat, auctorem, huius belli testem, ut mea fert opinio, tanquam gregarium militem, a Caesaris parte stipendia fecisse; cuius tamen partium studio non nimis vacuum eum esse, vel e caesorum et sauciorum in pugnis enumeratione cernere licet, quamquam Caesaris quoque accepta detrimenta non tacet.

§ 3. HORATIUM, qui, carm. 9, Epod., Augustum celebrat, utpote qui Sex. Pompeium »Neptunium ducem, minatum Urbi vincla, quae detraxerat servis amicus perfidis,» vicerit, nominasse hic satis est. Nam carm. 4 Epod. non de Mena esse sermonem, nobis quoque persuasum habemus.

§ 4. STRABO autem, cuius aetas etsi certis nondum annis definita, incidit in Augusti et Tiberii tempora, adeoque non diu post Sex. Pompeii mortem, geographicis suis investigationibus historicas quasdam notas interdum intexuit, et sic peculiaria et sibi propria, nec vulgaria nobis de Sexto annotavit, quae pro sua in rebus indagandis diligentia, fide dignissima nobisque gratissima fuerunt. Sic, ut unum hic exemplum addam, solus nobis de Aristodemo, Pompeii M. filiorum praeceptore, retulit; οὗ, inquit, διηκούσαμεν ἐσχατογήρω, νέοι παντελῶς ἐν τῇ Νύση¹⁾. Caetera, quae sive solus, sive ab aliis scriptoribus diversa, de Sexto memoriae mandavit, postea vel annotabimus, vel cum caeteris de ea re narrationibus comparabimus.

§ 5. Paucis post Sex. Pompeii mortem annis LIVIUS

1) p. 650. Quod omissum esse a Drumanno, Viro diligentissimo, in laud. op., mirum videtur.

annales suos conscripsit; quorum vero maior pars, longi temporis iniuriam passa, ad nos non pervenit, et in his quoque ii libri, quibus Sexti res, tam in Hispania, quam in Sicilia et Asia gestae, continebantur. Quarum tamen epitomae, ab incerto quodam confectae, quasi per transennam nobis deperditum thesaurum adspiciendum offerentes, ostendunt, non paucis eum rem absolvisse. Harum autem fidem, quum caeterorum scriptorum testimoniis neque adversentur, neque in iis solis inveniantur, quae apud alios desiderantur, in dubium vocare non licuit; sed quamvis brevissimae, ad aliorum tamen testimonia confirmanda quandam utilitatem prae-buerunt. Solita ipsius diligentia hos quoque libros ab eo pertractatos fuisse iure suspicamur, quorum magnum iacturae damnum nobis quodammodo compensari videtur, quod multi haud dubie, nec deperditi scriptores, sua ex eo mutuati fuerunt, qui ipse sive e commentariis iam conscriptis, sive e viventium ore, sive e sua memoria, quae in iuventute acta fuerant, colligere potuit; quatuor enim et viginti annorum aetatem attigerat, quum Pompeius, Appiano teste, mortuus est.

Verba epitomes libri CXXIII: „lectis *ex Epiro* proscriptis ac fugitivis,” caet. Freinshemium aliosque non offendisse miror. Eum enim ex Epiro vel pro parte vel omnino proscriptos collegisse aliunde non constat; utique Livium illud scripsisse non credo. Eiiciendum est, aut aliud legendum est vocabulum, uti quoque epit. CXXIX, pro vocibus *in Siciliam*, ut cuius evidens est.

§ 6. VELLEIUS PATERCULUS natus fuit a. 735 U. c., neque opus suum ante annum 29 p. Ch. n. conscripsisse

fertur ¹⁾); in quo historicas simul et oratorias partes sustinens, lectoribus, rerum non ignaris, brevissime et concinne scripsit, et paucis quoque Sex. Pompeii res enarravit. Sed quemadmodum in universo opere, Tiberium et omnino Caesarianos omnes laudandi studium observatur, partim metu, partim ad Tiberii gratiam captandam, partim e grato animo ob beneficia ab hoc accepta, sic iniquus quoque est nostri Pompeii iudex, eiusque indolem nobis depinxit, suum ipsius ingenium potius, quam historiam secutus. Sic l. II, c. 72: „Quippe,” inquit, „nullum habentibus statum quilibet „dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret, „perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fu- „gientibus statio pro portu foret.” Quae in Pompeii invidiam Octavianique gratiam, nulla temporum ratione habita, dicta sunt, quum, quis dux idoneus esset, atque ubi portus, ubi statio foret, eo tempore nondum cognitum esset.

Sic quoque Sextum notavit tanquam „adolecentem „studiis rudem, sermone barbarum,” qua de re historia prorsus silet. Qui enim in Velleii editione Iani et Krausii citatur Valerii Max. locus, II, 6, § 8, de alio quodam Sexto Pompeio, tunc in Asiam proconsule proficiscente, agit ²⁾).

Nec magis cum Velleio eum »impetu strenuum, „manu promptum, cogitatione celerem,” sed his contrarium potius, historiam secutus, vocare cogeris. Quod paullo post dixit „servorum servum,” mera est rhetorica antithesis, ob praecedens »libertorum suorum libertus,” quam amat.

¹⁾ Henr. Dodwell, in Annal. Vellei. s. vita Vell. Pat. pro temp. ord. disp.

²⁾ Vell. II, 73, Drumann. IV, 591.

Nimis aut fisis Asinii Pollionis in historia auctoritate, aut indulgens studio erga hunc, Augusto amicissimum, eum „praetorium *clarissimum* bellum” in Hispania contra Sex. Pompeium gessisse ait, de qua fallacia uberius infra agendi locus erit¹⁾.

Menam et Menecratem *paternos* libertos vocavit, sive brevitatis, sive contemptus causa; illum recte quidem, ut ex App. V, 79 et 96, satis patet; hunc vero non patris, sed ipsius *Sexti* libertum appellaverunt Appianus et Dio Cassius, neque iniuste, ut postea videbimus.

Lib. II, 73, fin., Sextus „ad se exercitumque tuendum raptus usus fuisse” dicitur, tametsi proxime totam ipsi Siciliam parere notaverat. Igitur sive invidiose, sive, quod malim, paullum a Velleio rerum ordo inversus est, ut referendum sit ad annum u. c. 711, quo ante Siciliam captam revera ad se exercitumque tuendum in mari praedatus fuit.

Deinde foedere Misenico Siciliam et Achaiam tantum Pompeio concessas fuisse tradidit; Dio Cassius etiam Sardiniam; Appianus praeter has, Sardiniam et Corsicam etiam nominavit, quem cur secuti simus infra dicemus.

Inter clarissimos viros, quos foedus Misenicum reipublicae restituit, quorumque enumerationem solus Velleius nobis reliquit, Tiberium Claudium Neronem etiam nominat, cui fidem habuit Tacitus²⁾. Verum a Suetonio³⁾, suffragante Dione Cassio⁴⁾, alia docemur. Nam aegre ferens, inquit ille, se a Sexto, non uti Praetore dignum erat, acceptum fuisse, ad Antonium in Achaiam traiecerat. „Cum quo brevi reconciliata in-

¹⁾ Cap. diss. III, in. et IV. ²⁾ Ann. V, 1. ³⁾ Tib. 4 et 6. ⁴⁾ XLVIII, 15; 44.

ter omnes pace, Romam rediit," quod anno U. c. 714, statim post hanc Brundusinam inter Octavianum et Antonium pacem factum esse ex historia notum est. C. Sentius autem Saturninus, quem iisdem annumerat Velleius, ab Appiano¹⁾ inter eos nominatur, qui anno 719 de Pompeio in Asia desperantes, sibi ipsis fidem pacti, ad Antonium transierunt. Aut igitur ad Sextum postea iterum rediit, aut male a Velleio his annumeratus est.

Circa Veliam Appianus, circa Palinuri promontorium Dio Octavianum naufragium fuisse passum tradiderunt; Velleius utrumque coniunxit.

Haec sunt, quae reprehendenda habuimus in scriptore, qui caeteroqui paucis quasi lineamentis totam Sex. Pompeii historiam egregie prorsus depinxit, quemque in reliquis optime cum caeterorum de nostro testimoniis congruere, nec fide indignum esse vidimus.

§ 7. LUCANUS in Pharsalia, quod carmen, sub Neronis imperio conscriptum, morte sua (a. p. C. 65) imperfectum, ut sunt virorum doctorum sententiae, reliquit, Sex. Pompeii quoque iuvenilis aetatis partem versibus depinxit. Non tamen vere; contra omnium enim scriptorum testimonium eum in Thessaliam patrem comitatum fuisse, multasque nugas egisse finxit, indeque eum fuga in Lesbum delatum, et hinc patrem, qui proxima iam nocte e Lesbo cum Cornelia abierat, in mari assecutum fuisse tradidit; quod, quo consilio, quemve secutus, sic narraverit, ne coniectura quidem quisquam assequi posse videtur. Vere ta-

¹⁾ V, 139.

men cum Plutarcho Dionis¹⁾ sententiam refutat, qui minus exacte Cyrenis demum Magni Pompeii mortem Catonem et Cnaeum rescivisse ait. Uberius infra de omnibus his dicturi sumus.

§ 8. L. ANNAEUS SENECA solus nobis auctor est, Sextum sorori superstitem fuisse; hinc ergo nominari meretur.

§ 9. C. PLINIUS SECUNDUS, Hist. Nat. VII, 52, (53), hancce festivam annotavit narratiunculam, cui, quum alibi non licuerit, hinc locum assignamus: „Bello Siculo „GabienuS, Caesaris classiarius fortissimus, captus a S. „Pompeio, iussu eius incisa cervice, et vix cohaerente, „iacuit in litore tota die. Deinde cum advesperavis- „set, cum gemitu precibusque a congregata multitudine „petiit, uti Pompeius ad se veniret, aut aliquem ex „charis mitteret; se enim, ab inferis remissum, habere „quae nuntiaret. Misit plures Pompeius ex amicis, „quibus Gabienus: Inferis diis placere Pompeii causas „et partes pias; proinde eventum futurum, quem „optaret; hoc se nuntiare iussum; argumentum fore „veritatis, quod peractis mandatis, protinus exspiratu- „rus esset. Idque ita evenit.”

§ 10. TACITUS, Ann. I, 10, rectissime Sextum ab Octaviano imagine pacis deceptum fuisse vidit.

§ 11. De PLUTARCHO hinc multa dicere non attinet. Praetereuntes, quae vera esse comperimus, illud tantum animadvertimus, eum in Antonii vita, c. 32., Latini sermonis ignorantia, scitum illud Pompeii dictum et ambiguum vocabuli *Carinae* e Latino suo, nescio quonam, fonte haud intellexisse.

1) XL, 13.

§ 12. Nec de SÜETONIO multa dicenda. Summatim, nec tamen satis accurate, præcipua Sexti et Octaviani proelia in huius vita, c. 16, percurrit. Quod autem prodidit, ib. c. 68, Sextum insectatum fuisse Octavianum tanquam effeminatum, Drumann., IV. 572, ad annum U. 716 retulit.

§ 13. L. ANNAEUS FLORUS sine ullo ingenii acumine et contra historiae veritatem de Sexto conflavit capitulum, quod pueris Romanis scriptum diceret; singula infra notabimus.

§ 14. Post eos APPIANUS Alexandrinus et DIO CASSIUS Cocceianus, primarii et integri nostri argumenti fontes in censum veniunt, eorumque fides et auctoritas in Sex. Pompeii rebus exponendis exploranda et probanda est. De singulis autem, quales eos in nostro argumento versantes observavimus, pauca præfanda.

Appianus igitur, qui sub Imp. Traiano, Hadriano et Antonino Pio vixit, et in patria inque ipsa Urbe magnos obiit honores, Polybii maxime in historia tractanda methodum secutus, data opera simplici et aequali ratione Sexti cum Octaviano bellum diligentissime quoque plerumque et copiose exposuit. Eum multos hæc in re adisse scriptores, tam Romanos, quam Graecos, gravissimosque secutum esse, ut universe in operis præfatione, c. 12, et lib. II. c. 70 significavit, etiam vel e diversis, quas subinde de aliqua re numerat opinionibus, conspici potest. Quosnam vero potissimum auctores secutus sit in iis, quæ de nostro memoriae tradidit, omnino non annotavit, idque eo difficilius est certo modo indagare, quum ad unum fere deperdita sint eorum scripta, nec quidquam hæc de re e fragmentis pateat. Accedit his alia quaedam dif-

ficultas, quod mira saepe inter Appianum et Dionem sit enarrationis et rerum differentia, quin et subinde maxima pugna; licet tamen iisdem nonnullis auctoribus eos in historiis suis componendis usos fuisse extra omne dubium sit, quod e paucis quibusdam locis nobis manifestum factum est. Utrumque ergo, praeter communes hos, etiam aliorum scripta consuluisse, vel pro diverso suo instituto eosdem diverse adhibuisse, aut alium aliis praetulisse necesse est. Qui autem paucissimi de Sexti iuvenilibus rebus adhuc superstites sunt scriptores, hos Appianum consuluisse ne uno quidem vestigio apparet, et omnino in his temporibus ante Mundense proelium minus est diligens, quam in posteriore aetate describenda. Asinii Pollionis imprimis de bello civili inter Iulium Caesarem et Cn. Pompeium Magnum et deinceps de subsecutis temporibus usque ad Augusti monarchiam historia ad nostrum argumentum sedulo eum usum fuisse, inde colligere licet, quod illum, l. II. c. 82, ut maxima fide dignum laudavit, et ex aliis causis, quas mox afferemus. Idem dicendum est de Augusti commentariis de vita sua, quos non semel citavit, et e quibus multa eum mutatum esse mihi persuasum est. Num Agrippae commentariis de ipsius vita multum debuerit, dubito, quam brevissime de imperio classis ei oblato, nec quicquam de Agrippae egregio opere, quo Avernum et Lucrinum lacum cum mari coniunxerit, memoret. De posterioribus tamen temporibus nihil decerno. In multis Livium a Dione consultum fuisse mox videbimus. Appiano igitur Livium, sive propter operis formam et indolem, sive quia alios fortasse illorum ipsorum temporum testes sequi mallet, minus placuisse, e discre-

pantia cum Dione coniiciendum videtur. Messalae Corvini historiam eum legisse, credere non absurdum est. Num autem Maecenatis, num Voluminii, Fene-stellae, Iulii Marathi, Verrii Flacci, Cremutii Cordi, aliorumque, quorum scripta vel una cum his etiam nomi-na ignorantur, operibus usus fuerit, nihil certi dici potest.

Certius vero de fide et ratione, qua de Sex. Pom-peii rebus egit, iudicare possumus. Qua in re ple-rumque, praesertim in posterioris aetatis rebus, eum Dioni praeferre non dubitavimus. Quae enim ad il-lustrandam historiam faciunt, strenue et ordine con-gessit, proeliorum et pactorum, tempestatum et nau-fragiorum lucidam enarrationem reliquit; non tantum navium amissarum, captarum, aliarumque numerum, sed etiam singula tempora singulosque dies quoque in-terdum, virorumque nomina, verbo omnia, quae lu-cem possent afferre, in opus recepit, neque solum facta, sed horum causas subinde indagavit.

Comparatio autem cum reliquis scriptoribus et exacta investigatio a nobis facta, styli aequabilis ratio et sen-tentiarum nexus abunde nos docuerunt, quod Schweig-häuserus, V. Cel., de toto opere pronuntiavit, Appianum inepte, ut fama evulgaverat, ad verbum scriptores, suos fontes, non solum non descripsisse, sed etiam quae ordine undique collegerat suis fere verbis reddidisse et haud exiguo ingenii acumine opus suum composuisse ¹⁾.

1) Cff. Schweigh. exercitatt. in App. Et nihilo tamen minus post hunc R. Wilmans, in magna laude digno opere de Dionis Cassii fide et au-ctoritate, 1836, pag. 27, ut Dionem suum extollat: „Sed sane,“ inquit, „ne hoc eodem modo, quo Appianus, Dionem transscripsisse credas;“ nullo tamen huius rei exemplo allato. Uter autem horum in nostro argumento pluris aestimandus sit, mox aequis ut spero rationibus probaturi sumus.

Non enim, quod rei geographicae non satis peritus fuerit, cum Niebuhrio¹ eum indoctum et arrogantem appellamus. Utique huic rei alios praeter duos geographicos errores a magno viro afferri debuerant.

§ 15. Dio Cassius autem Cocceianus, Nicaeae in Bithynia natus, Romae ad maximas dignitates evectus, opus suum aliquot annis post Appianum, saeculo p. C. III incunte, absolvisse computatur, quo opere, quod non singulorum bellorum, sed totius terrarum orbis historiam complectatur, passim Sex. Pompeii quoque res gestae attinguntur. Quo nomine Appiano, ut dixi, posthabendus est; non enim accurate et diligenter sui que simili ratione in omnibus versatur; quin nonnunquam sibi invicem pugnantia narrantem eum deprehendimus. Saepe, saeculi sui more, rhetoricas magis quam historicas partes agere et in cladium, tempestatum et naufragiorum descriptione magis verbis, quam rebus studere videtur; ut etiam multa, quae Appianus tradidit, aut minus bene, aut prorsus non nobis reliquit; in nonnullis tamen, licet paucioribus, in iis imprimis, quae pugnam Mundensem antecesserunt, probabiliora tradidisse eum negandum non est.

Quos autem in singulis nostris locis sequatur, recte discerni nequit. Etiam Dio cuncta, quae de Romanis nonnulli scripsissent, se legisse, et delecta in suos commentarios retulisse profitetur²). In his autem temporibus, inde a Catilinae coniuratione ad Iulii Caesaris

1) Röm. Gesch. nach Nieb. Vortrüg. bearb. v. Dr. L. Schmitz, a. d. Engl. v. Dr. G. Zeisz; 1 Lief. p. 98.

2) In Nov. coll. Ang. Maii. II, 133.

caedem et ultra, principem Livium saepissime eum secutum esse idoneis argumentis probavit Wilmans, V. Cl., de Dionis Cass. fide et auct. pag. 18. Verum enim vero de Sexti rebus in Hispania gestis, omnibus, suffragante Drumanno, V. Cl., III. p. 639, Auctorem incertum de bello Hispaniensi me praetulisse supra iam dixi. Maecenatis scripta et Agrippae de vita sua, in cuius rebus exponendis uberrimus est, ab eo adhibita esse, certis ut videtur indiciis ostendit idem Wilmans, p. 21, itemque Octaviani Augusti *ὑπομνήματα*; quae ab eo magni habita esse patet, quod bis in opere suo ad eorum provocavit auctoritatem. Denique longe plures ab eo investigati sunt scriptores, quorum hodie vel fragmenta tantum vel omnino nihil superest; num alios, praeter eos quos Appianus vidit, consuluerit, in dubio est. Verum, quibuscunque usi sunt scriptoribus, diversissimo a se invicem modo plerumque res retulerunt, quod eo magis miramur, quum eosdem fontes primarios ad manus eos habuisse extra omne dubium sit. Sed quum illorum temporum tanta fuerit scriptorum copia, facile alius alio magis delectari potuit. Id vero constat, Dionem ex Appiano non hausisse, quem num vel inspexerit, dubitamus. Ex altero igitur supplentes, quod alteri deerat, Sex. Pompeii historiae materiem congegimus; hic autem singulos locos, qui vel discrepantes, vel minus aut prorsus non probandi, emendatione, animadversione, vel probatione indigere videbantur, paucis exponemus, silentio praetereuntes, quae alteruter solus retulit, quibusque assumendis nullum veritati argumentum obesse videbatur.

§ 16. Sic Cyrenis demum Catonem et Cnaeum de

Magni Pompeii morte a Sexto et Cornelia matre certiores factos esse tradidit Dio, qui hinc iusto brevior est. Pluribus melioribusque, ut cuique visu facile est, Plutarchus et Lucanus res retulerunt; praeterea Plutarchus haud dubie ipsius Catonis annalibus in huius vita componenda usus fuit.

Dio quoque tum demum Sextum a fratre Cordubae cum praesidio relictum fuisse, quum Caesar in Hispaniam iam venisset, narravit, quod secus est apud Auct. de Bello Hisp.; quem Munatii Flacci dolus, ut intra Ategnam oppidum perveniret, cuius Dio et Frontinus meminerunt, fortasse tanquam Caesarianum militem latuit.

Appianus, ut dixi, in Sexti et Cnaei ante proelium Mundense rebus non satis diligens est. Sexti enim ne nominis quidem ante illud tempus mentionem fecit; pugnam autem illam contra reliquorum scriptorum auctoritatem apud Cordubam commissam fuisse perperam dixit. Dio locum non nominavit.

Inter Lacetanos sese abdidisse Sextum scripsit Dio, qui Livii quoque scribendi mos est; a Strabone Iacetani vocantur.

Fortasse ipsius Pollionis historia Appiano, IV, 84, fuit fons, quod effecerit, ut de huius clade nihil memoraverit, de qua multus est Dio.

Appianus qui universe in opere suo in locorum et regionum situm non aequè bene atque in res historicas inquisivit, l. l. tota Hispania Baeticam intellexisse videtur. Male, ut e Dione et Cicerone effici potest.

Quod autem narrat, Sextum Massiliam secessisse, Ciceronis nititur auctoritate, quem h. l. Dio non, uti alibi, consuluisse videtur.

In Sexti tamen laude ob cives servatos maximo-
pere conspirant loci Dionis XLVII, 12. et Appiani
IV, 36.

Sed rursus longe diversos fontes eos secutos esse
vel ex eo conspicitur, quod apud Appianum, inter
scriptores solum, Menas semper Menodorus audiat, et
Demochares etiam sub Papiæ nomine designetur, e more
suo, modo prænominata, modo gentilitia, modo cogno-
mina reponens, ut significavit in præf. c. 13.

Dionem, qui Menam appellavit *suum*, id est, Sexti
libertum (XLVIII. 30), falli, cum ex aliis scriptori-
bus, tum ex Appiano (V. 79) patet.

Drumannus, (IV, 568) minus recte Velleii aucto-
ritatem secutus, Menecratem etiam *paternum*, id est
Cnaei Magni, appellavit libertum¹⁾; hunc enim pa-
riter Dio, XLVIII, 46, atque Appianus, V, 81, *suum*
libertum vocarunt, quibus maior fides habenda est, ut
vix dictu opus est.

De eadem Sex. Pompeii incursione agi apud utrum-
que, Dion. XLVIII, 20 et App. V, 56, dubitandum
non est, quamvis diverso modo ea enarretur. Tem-
pus enim congruit, quippe post Perusiam captam, anno
U. c. 714. Dio vero sibi ipse obloquitur, quum pri-
mum, l. l., dixerit, Sextum adventu Agrippæ, et rursus
aliter paullo post, eundem, audita Antonii cum Octa-
viano pactione, in Siciliam recessisse. Tempus huius
incursionis a Dione indicatum prætermisit Drumann.
IV, p. 569, qui Appianum tantummodo hoc loco se-
cutus est. Attamen de Sardinia capta recte Dionis nar-
rationi credidit; Appianus enim c. 56, statim Menam

¹⁾ Sic quoque Eckhel, doctr. num. VI, 26.

a Pompeio fuisse missum et Sardiniam abripuisse, et c. 66. eum deinde, postquam Helenus legatus denuo insulam recuperaverat, iterum eam occupasse retulit; in his cum Drumanno Dionis auctoritatem sequendam esse putavimus, qui enucleate et probabiliore ratione, quae hoc tempore Menas gesserit, exposuit.

Eidem tamen paullo post, Antonium iureiurando se ad Pompeii societatem obstrinxisse dicenti, non fidem habuimus, quum Appianus, suffragante Plutarcho, ob rationes suo loco afferendas, veriora tradere visus fuerit.

De Pompeii fastu, quo se Neptuni filium crediderit, Appianus ante annum U. 718 nihil tradidit. Iam quum apud Dionem (XLVIII, 31), populum anno 714 plaudendo ob illatum in theatrum Neptuni simulacrum favorem erga Sextum significasse legamus, ante hunc annum sic superbivisse Dioni credidimus, probante Drumanno.

Dio (ib. c. 16), Muciam iam antea ab Octaviano, quum Scriboniam ducere meditabatur, ad filium missam fuisse ait. Veriorem Appiani narrationem recepimus, (V. 69). Dioni fortasse Iulia, Antonii mater, quae a Pompeio ad filium ablegata fuerat, ob oculos versabatur.

Et Appianus, V, 72 et 73 in., et Plutarchus, Ant. 32, eundem seculi sunt auctorem; illum enim ex hoc sua non petiisse, cuius locos comparanti patebit, quos hic apponere operae pretium est. Plutarchus ait: *καὶ συνῆλθον εἰς ταὐτὸ κατὰ τὴν ἐν Μισσηνοῖς ἄκρην καὶ τὸ χῶμα, Πομπηῖω μὲν τοῦ στόλου παρορροῦντος. — Ἐπεὶ δὲ συνέθεντο, Πομπηῖον — σίτου τι τεταγμένον ἀποστέλλειν εἰς Ῥώμην, ἐκάλουν ἐπὶ δεῖπνον ἀλλήλους. Κληρουμένων δὲ πρώτος ἐστὶν αὐτοὺς ἔλαχε Πομπηῖος.* Appiani autem verba sunt: *οἱ τρεῖς συνῆλθον*

ἐς τὸ ἀμφίκλυστον Δικαιαρχέων γῶμα, περιορισθῶν
τῶν φυλακίδων νεῶν. Καὶ συνέβησαν ἐπὶ τοῖςδε· —
Πομπήϊον — πέμποντα Ῥωμαίοις τὸν ἐκ πολλοῦ τε-
ταγμένον αὐταῖς (νησοῖς) σῖτον. — Ἐξένιζον δ' ἀλλή-
λους αὐτίκα, περὶ τῆς τάξεως διαλαχόντες.

Praeter Siciliam et Sardiniam in Sexti possessione Cor-
sicam quoque fuisse tradidit solus Appianus (V, 67),
quam deinde eius imperio constanter annumerat (27; 78;
80.). Quod verum esse inde colligitur, quod totum illud
mare ab illo interclusum fuisse apud scriptores legimus.

Universe autem in iis, quae foedus Misenicum ante-
cesserunt et subsequuta sunt, multo copiosior et verior
est Appianus, acriterque sibi oppositae sunt huius cura
et Dionis negligentia, ut cuique legenti facile patet.
Ille etiam conditionum huius foederis singula quasi
capita ordine disposuit. Minus tamen distincte in ipso
illo foedere, pro Achaia, Peloponnesum Pompeio con-
cessam fuisse ait, (c. 77). Fallitur etiam, ubi Pon-
tificum collegio eum adscriptum fuisse pacis conditio-
nibus annumerat; eum Augurem contra cooptatum
fuisse ait Dio, cui tum ob utriusque magistratus indol-
em, tum ob locum Ciceronis, Phil. XIII, 5, § 12,
assentiendum est. Solus item hic pecuniae tum pro-
missae summam definiit *χιλίας καὶ ἑπτακοσίας* ¹⁾ *καὶ*
πεντήκοντα μυριάδας δραχμῶν.

Quodsi Appianum solum hic emendare videmur, eam
ob causam id fieri existimetur, quia innumera. quae
Dioni desunt, recensere longius, neque operae pretium
est. Veluti ubi insularum imperium Sex. Pompeio in
quinque annos, Appianus vero in tantum temporis tra-

¹⁾ Zonaras, qui Dionem in nostro argumento ubique fere sequitur, hic
pro *ἑπτακοσίας* habet *πεντακοσίας*.

ditum esse dicit, quantum Octavianus et Antonius reliquarum provinciarum imperium tenerent, potio- rem esse Appiani narrationem, quum hi duobus abhinc annis Brundisii imperium sibi iam prorogassent, facile quisque viderit. Sic quoque maius virium robur fuisse causam, cur Pompeius prior epuliseos exceperit, nemo facile Dioni concedet. Appiano, ut vidimus, suffragatur Plutarchus. De narratiuncula, secundum quam Menas Sexto sui ulciscendi consilium dedisset, infra dicemus.

§ 17. Menae et Octaviani colloquium, cuius meminit Dio (ib. c. 45. cf. infra cap. IV^m.), ubinam vel quando haberi potuerit, nusquam indicatur, et, num revera habitum sit, dubito. In omnibus autem, quae Menae transfugium spectant, diversissimam secuti sunt narrationem. Sic Appiano referenti, Pompeium non prius de Menae transfugio sensisse, quam hic cum Calvisio Sabino adveniret, praetulimus Dionem, c. 46, qui omnino id Sextum compertum habuisse et Menecratem in Italiam diripiendi causa misisse dixit.

Calvisii Sabini cladem, a Demochare illatam, hic brevius quam Appianus exponit, fortasse studio erga Octavianum. Non vero opus mihi videtur, ut Dionis verbis ἐπιδιώκων αὐτοῦς, (l. l. 47.) intelligamus, Sabinum pugnae ineundae causa eum persecutum, sed tantummodo eum secutum fuisse, postquam abierat Demochares.

Dio ibidem Octavianum ante huius cum Sabino conjunctionem tempestate ad Scyllaeum multas amisisse naves, Sextumque, his cognitis, in eum misisse Apollophanem; Appianus vero nihil de hac tempestate locutus, Democharem, postquam reversus erat Messanam,

iussa Pompeii Octavianum insecutum fuisse prodidit; in sequentibus etiam enarrandis hic plenior et accuratior est.

Erravit autem C. D. B. (Beck), in nota ad interpretationem libri Anglici Cl. Ferguson (Gesch. des Fortg. u. Unterg. der Röm. Rep. III, part. 2. p. 179), Dionem Cassium hoc loco, c. 47, aperte falli arbitratus: Nondum scilicet coniunctos fuisse Octavianum et Sabinum eo tempore, quum Apollophanes vel Demochares adveniret, dicens. Verum si ipsius Dionis, non versionis Xylandro-Leunclavianae verba inspexisset, talia effatus non fuisset. Dionis enim verba: ὃς εὐρών τὸν Καίσαρα ταύτην που παραπλέοντα, ἵνα μετὰ τοῦ Σαβίνου ἐς τὴν Σικελίαν διαβάλλῃ, ἐπ' αὐτὸν ἤξεν· male versa sunt: „qui quum eo forte loco *praeternavigantem cum Sabino Caesarem, consilio traiiciendi in Siciliam*, offenderet, adversus eum se convertit;” sed sic vertantur oportet: „qui quum *Caesarem, eo forte loco praeternavigantem, consilio traiiciendi cum Sabino in Sicil. caet.*” adeoque eadem declarant, quae App. V, 84, narrat.

Dionis auctoritas (XLIX. 1.), qui initio veris solvisse Octavianum tradidit, denuo ab Appiano infringitur, qui Octavianum, Lepidum et Statilium Taurum uno eodemque die non solum ante statuto solvisse ait, sed diem ipsum, Calendas Iulias, et causam etiam, quare hic constitutus fuerit, addidit. Sic quoque ubi Appianus, exorta tempestate, Octavianum in Eleatem sinum confugisse, Appium vero Claudium, Octaviani agmen claudentem, circa Minervae promontorium naufragium fecisse dixit, et Dio, Claudio ne nominato quidem, Octaviani classem Palinurum pro-

montorium praetereuntem tempestate vexatam fuisse tradidit, Appiani luculentissimae et exactae horum omnium descriptioni fidem tribuimus.

Negligentius denuo Ferguson et Beck (in op. c. III, part. 2, p. 188), mixtis inter se rebus, ad Minervae promontorium Octavianum naufragium passum fuisse scripserunt. Hoc autem Cumano sinui proximum est, cui succedit Eleaticus sinus, et hinc non procul Palinuri promontorium, Siciliae propius.

Menae irruptionem, quam l. l. memorat Dio, quin eadem sit atque ea, quam Appianus, c. 100 sqq., multis enarravit, nullus dubito, eundemque non, ut Dio auctor est, Octaviani pollicitationibus, ut iterum transfugeret, adactum fuisse, sed ipsum sibi hoc consilium suscepisse, diserte declarat Appiani locus citatus, cui fidem non denegamus.

Hic vero cap. 103 et cap. 105 sibi adversatur, et miro modo res et loca miscere videtur. Dixit enim, Octavianum iussisse Messalam cum duabus legionibus in Siciliam traicere, quae cum Lepidi exercitu coniunctae transirent in sinum, qui prope Tauromenium est, ibique stationem agerent; at deinde rursus Octavianum cum Messala et tribus legionibus in Tauri castra proficiscentem fecit. De quibus cons. annot. Schweighäus., qui errorem subesse suspicatus est. Dru-
mannus Appianum diversorum scriptorum narrationes descripsisse, nec inter se composuisse, recte dixisse videtur. Priora autem, quum quavis ratione cum sequentibus in concordiam redigere et dubium solvere desperaverimus, plane praetermittimus. Utut est, rem geographicam non magnopere calluit Appianus; Abal-
las enim portus, et Scylacius mons in Italia, Onoba-

las flumen, Coccyum promontorium, Phoenix urbs, Myconius mons et Palaestinorum ager in Sicilia, antiquis et hodiernis ignota sunt.

Quod Liparam ab Octaviano incolis orbatam fuisse apud Dionem, XLVIII, 48, legimus, nihil impedit, quominus cum Appiano, c. 97, eandem a Pompeio munitam deinde dicamus, cuius rei Dio mentionem non fecit; maiorem tamen dubitationem obiicit, quod deinceps, hac plane omitta, de Hiera, quasi de uia eademque insula loquatur. Dio nec Strongylen, neque Hieram, sed Liparam tantum memoravit. Etsi in his insulis non nimis urguendum esse videtur; illae enim iam antiquitus tanquam parvae, saxosae et desertae describuntur¹⁾, Hiera tamen ob situm, utpote quae Siciliae proxima sit, rebus nostris congrua magis est, et praesidiis etiam munitam fuisse ex Appiano, c. 105, efficitur.

Nisi magnopere fallor, in pugnae descriptione Agrippae et Democharis ex eodem fonte, fortasse ex Agrippae vel Octaviani scriptis, hauserunt. Mire enim App. V, 106 et Dio XLIX, 3, inter se conspirant et huius c. 4 in. cum App. c. 108; quos locos hic describere et inter se comparare longius est. In iis autem quae sequuntur, quamquam eosdem dein scriptores iis praesto fuisse non dubitamus, Dione tamen rursus, ut fere solet, copiosior est Appianus. Denuo eundem fontem adisse Appianum 113 et Dionem 6, ex magna orationis similitudine non immerito statuere nobis videmur.

Quae Dio solus retulit, dissidia non solum inter Octavianum et Lepidum fuisse suborta, sed hunc etiam ad Sextum inclinasse, quin immo occulte cum eo con-

¹⁾ Strabo p. 257.

silia agitasse, haec non ideo, quod Appianus huius dissidii eo tempore nullam mentionem fecerit, et quod Lepidus, ut Drumanno visum est, suis viribus satis confiderit, reiicere audeam. Nam magnum licet copiarum numerum secum duxisset Lepidus, duodecim legiones cum quinque millibus equitum Numidarum alioque apparatu, tamen Octavianus copiis instructor fuit; unam enim et viginti legiones, equitum viginti millia, levisque armaturae militum plures quinque millia iam in Siciliam traiecerat. Et sane multae erant causae, quare Octaviani res sibi infensas haberet Sextique causam amplecti maluerit. Iamdudum enim a reliquis Triumviris neglectus et spretus, nunc vero tandem, ubi Siciliam tanquam suam sibi vindicare meditabatur, non collegae loco, sed legati instar haberi se videbat. Quod igitur ab Octaviano concessum iri desperabat, facili negotio se a Sexto accepturum non dubitabat, cui iam pridem amicus fuerat, quemque iam anno 710 sua auctoritate ad pacem adduxerat. Neque etiam tale facinus a Lepidi mente abhorret. Discordiam vero iam exstitisse eo arguitur, quod postea, una cum suis, Plennii etiam militibus urbem Messanam diripiendam permiserit. Hoc igitur dissidium iam subortum magnum attulisse momentum, ut Octavianus maiori proelio cum Sexto de summa rerum decerneret. Nec tamen Dionis auctoritatem etiam nunc secutus fuisset, nisi Appiani narrationi, „Pompeium, cum in dies urgueretur, coactum per nuntios Octavianum rogasse, num navali proelio decernere vellet, hunc accepisse et sic statutam fuisse diem, ad quam trece-nae utrimque naves parabantur” caet., fidem negare cogeret. Non enim App., uti fere facere solet, ubi

de statutis diebus loquitur, diem ipsam designavit, nec summovit ita dubitationes, quae contra talem, licet non prorsus ignotam, rarissimam tamen in historia rem oriri possint. Profecto caeterorum scriptorum de tam insolita re silentium mirandum esset, quorum non pauci de hac pugna, quamvis brevissime, mentionem fecerunt. Displicet etiam in Appiani narratione Sexti illa animi tranquillitas, illudque frigidum consilium, quod ab eius indole alienum videtur. Minus modus quam res offendit. Verum fortasse in medio. Latum autem quaerendi et coniciendi campum aliis relinquo.

Trecentae igitur utrimque naves pugnam committunt, *φέρουσαι*, ut ait App. V, 118, *πέργους, και μηχανάς, ὅσας ἐπενόουν*. *Ἐπενοίει δὲ καὶ τὸν καλούμενον ἄρπαγα ὁ Ἀγρίππας*. Quem deinde describit, cuiusque usus in ipso certamine maxime probatur. Addit deinde: *οὐδὲ τὸ μηχανήμα πω προέγνωστο, ὡς δρέπανα δόρασι περιθέσθαι*. Quibus verbis Appianus novam, ut vulgo credebatur ab Agrippa demum inventam, et ideo Pompeianis ignotam fuisse machinam significare noluit; verum aut tota haec de harpagonibus narratio, eorumque usus in hac pugna, ab Appiano vel eius fonte ficta sunt, aut solis Pompeianis ignotam illam et inexpectatam fuisse machinam significet necesse est. Nemo autem facile adeo Appiano fidem historicam detrectabit, ut harpagonem eo proelio omnino non a Caesarianis usurpatum fuisse dicat. Hoc enim non solum diserte tradidit, sed etiam multum damni intulisse harpagonem Pompeianis, et quomodo hi frustra ab eo se defendere, eiusque vim et impetum devitare conati fuerint, multis verbis descripsit. Ipsi

ergo Pompeianis ignotum vel potius inexpectatum fuit machinamentum. Atqui tredecim annis ante usurpatum fuisse in D. Bruti cum Massiliensibus pugna apud Caes., de bell. civ. I, 57, legimus, eundemque prorsus harpagonem describi videmus a Livio XXX, 10, usurpatum a Carthaginiensibus adversus Scipionem Africanum a. U. 549 ¹⁾. Restat igitur, ut dicamus, Appianum quasi miratum esse, Sextum ipsum aut sprevisse, aut ignorasse illud strategema, utique Sexti militibus inexpectatum fuisse; quod, mea quidem sententia, his verbis significat: „varias” enim inquit, „sibi quisque excogitavit machinas; Agrippa vero eam, „quae dicitur harpago, — quae machina nequaquam „expectata erat, „ita ut falces hastis non apposuissent.” Quae proxima verba declarare mihi videntur, solitum contra istiusmodi harpagones remedium a Pompeianis non fuisse adhibitum, quos providisse oportuisset.

Pompeium simulatque in via cognovisset de defectione exercitus, imperatoriam vestem cum privata mutasse, Appiano assentior, neque ad Dionis sententiam, illud in insula Cephalaria demum factum esse, accedo, quia, praeter eius in plerisque Sexti rebus enarrandis incuriam, huius indoli magis congruum mihi videtur, ut in fuga post proelium, metuens, ne agnosceretur, privatum induerit; quod probat quoque Drumannus.

Appianus (V, 122), Plennium cum octo legionibus Lilybaeo revertentem facit, etiamsi cum una tantum le-

¹⁾ Cf. Dio, LXXIV, 11. Non obstat huius locus XLIX, 3, ubi non de harpagonibus, sed de ferrois manibus sermo est. Cf. inf. diss. cap. IV, med.

gione eo eundem profectum fuisse narrasset, c. 97. Verum septem e castris ad Naulochum legiones suis additas fuisse, tum colligitur e Dionis verbis XLIX, 10: „non omnes pedestres copias se Octaviano tradidisse, sed aliquot pedites Messanam profugisse,” tum etiam e numero viginti legionum, quem secum habuit Lepidus, postquam duodecim suis has octo addiderat ¹⁾. Haec acute vidit Drumann. I. p. 21. Verum enimvero qui factum sit, ut, licet maxima festinatione, intra tam parvum tempus, et arcessiri et cum suis copiis advenire simulque hostes evitare potuerit, mihi non liquet; error hinc latere videtur.

§ 18. Apud Appianum (V, 144), unicus exstat locus, unde, quo anno natus fuerit Sex. Pompeius, efficitur. Quod, etiamsi nullo cuiuspiam scriptoris loco Appiani hac in re fides imminuatur, non tamen tacite assumendum, sed paullo plenius indagandum, cumque omnibus huc pertinentibus patris, fratris et ipsius vitae rebus comparandum esse duximus.

Appianus igitur testatur, eum interfectum esse anno U. c. 719, *τεσσαρακοστὸν ἔτος βιοῦντα*. Itaque natus est a. U. 679, qui est annus, quo pater, iam in Hispaniam profectus, adversus Sertorium bellum gerebat, adeoque anno proximo 678 gravidam Muciam reliquit, et, uti aliis argumentis probare studuerunt cum alii, tum nuperrime Drumann. (IV, p. 361), iam anno 677 eo profectus esse haud potuit.

Ibid. c. 143, dicitur Sextus *νεώτερος μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀπολειφθεὶς, καὶ ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ μεράκιον ἤδη*; quem locum pessime sic vertit Gelenius, et in qua

¹⁾ Vd. Vell. II, 77. Suet. Oct. c.

versione acquievit Schweighäus.: „in *tenera* aetate; (27 scilicet annorum!) patre orbatus, fratre vero *adolescentulus* (29 annorum!). Niebuhr autem, qui (in laud. op. part. 1. p. 98), Appianum tanquam „*unwissend und anmassend*“ notaverat, et paullo post, p. 99, sic de eo sententiam protulerat: „Schriftsteller wie er thun besser, wenn sie andere abschreiben, ohne etwas zu denken; dann werden sie wenigstens correct sein; aber sie sollten sich nicht anmassen, einen gedrängten Auszug aus den Werken anderer zu geben;“ ecce, eundem istum Appianum vel, quod maius etiam est, istius versionem coeccc et ohne etwas zu denken descripsit, et part. V. p. 153: „Man darf jedoch,“ inquit, „nicht vergessen, dass er *schr jung* (trigesimum annum agentem!) war, als er seinen Krieg begann.“

Eum ἔτι παῖδα ὄντα matrem in Lesbum comitatum fuisse dixit V, 133; et dein, IV, 83: ὑπερώφηθην μὲν τὰ πρῶτα ὑπὸ Γαίου Καίσαρος περὶ Ἰβηρίαν, ὡς οὐδὲν μέγα διὰ νεότητος (30 annorum) καὶ ἀπειρίαν ἐργασόμενος. Sive igitur humana et nativa quadam ob aerumnas tanti patris filii commiseratione, sive alia causa ductus est, iuniorem Sextum quam pro annis nobis depinxit.

Quodsi res eius gestas consideramus, eadem quaestio nobis se offert; neque profecto cuiquam dubitationem excitaret, neque historiae adversaretur, si eum quinque, sex, immo novem annis iuniorem mortuum esse, et intra annos u. 684 et 688 natum esse legeremus. Quae enim est causa, cur non, perinde ac Cnaeus, patrem in Thessaliam comitatus fuerit, a. 706, sed ut imbellis puer cum matre in Lesbum extra belli

tumultum a patre ablegatus sit? Neque res in Hispania ante pugnam Mundensem ab eo gestae undetriginta annorum virum arguunt. Tenet praesidio Cordubam, quam urbem quum Caesar tentaret, et per insidias civium centenos aliquot confecisset, formidans, literis missis, fratrem arcessit, suis viribus et munitissima urbe nequaquam fretus. Reliqua autem Sexti aetas, quamquam certa indicia non adsint, huic tamen meae sententiae non obstat, quum et quae in Hispania et quae in Sicilia ceperit incrementa, Pompeiano imprimis nomini tribuenda videantur, neque ullum factorum, nisi quod iuveni conveniat, maius sit, nullum, quo virum revera se praestiterit.

Quodsi tandem cum Cnaeo fratre eum conferamus, utriusque res gestae imprimis insigne et maius quam pro annis discrimen prae se ferre videntur. Quanto enim ille maiora in bello patris contra Caesarem sustinuit munera, tam in Aegypto, navibus et copiis parandis et ad classem adducendis, quam in ipso Thessalico bello; quo tempore Sextum nullo officio functum, sed matrem in Lesbum comitatum fuisse legimus? Quanto denique in Hispania, ut de Africa non loquamur, illum huic antestare videmus, de quo mentio vix fit? Nonne merito dubitatio oritur, num revera inter utriusque aetatem maior quaedam differentia, quam unius, duorum vel quatuor ad summum annorum interfuerit? At ecce Appiani verba obstant, quae quum coniecturis dirimi et mutari nequeant, aegre pro veris assumenda fuerunt.

De varia Appiani et Dionis de Sexti morte narratione infra in annotatione ad finem ipsius vitae videbimus.

§ 19. Hic etiam s. AURELIUS VICTOR vel auctor de viris illustribus et EUTROPIUS nominandi sunt, quorum breves narrationes, procul dubio pro magna parte e Livio conflatae, ad aliorum narrationem confirmandam non sine utilitate nobis fuerunt.

§ 20. PAULUS OROSIUS, qui floruit saec. p. Ch. V, Imp. Arcadio et Honorio, licet non satis accurate, non tamen iniucunde Sexti Pompeii res in historiis suis exposuit. Obiter huius errores hic indicabimus, qui, utrum a describentium an a sua manu emanarint, dubium est. Sic Iulium Caesarem XVII dierum spatio ab Urbe ad Saguntum pervenisse dicit, quem Strabo XXVII dierum spatio ad Obulconem venisse ait, quem, numerum confirmante Appiano, ut oportebat, praetulimus. Pompeiorum etiam fratrum nomina in Hispania inter se confudit. Menam cum LX navibus ad Octavianum transfugisse, nescio cuius auctoritate nissus, tradidit, quem rursus, non cum VII, ut Appianus, sed cum VI navibus rediisse dixit. Hoc sane loco Orosii, non describentium, error videtur, quoniam Menam iterum cum VI navibus ad Octavianum transfugientem fecit. Sic quoque ultimo proelio CLXIII Pompeianas naves mersas et captas fuisse, Appianus vero XXVIII mersas fuisse testatur. Caetera silentio hic praeterimus, suisque locis attingemus.

§ 21. Postremus in censum venit JOANNES ZONARAS. Huius tamen annalibus initio circiter saeculi XII p. Ch. contextis, quamvis totius vitae spatium contineant, in Sexti rebus facile careremus, quum ad verbum fere, nec semper cum iudicio, e Dione descripti sint. De singulis autem infra annotabimus.

CAPUT II.

SEXTI POMPEII PUERILIS AETAS.

AD PUGNAM MUNDENSEM ET CNAEI FRATRIS MORTEM.

Sextus Pompeius Magnus natus est patre Cnaeo Pompeio Magno et matre Mucia, anno U. c. 679, L. Lucullo et M. Aurelio Cotta Coss. Ex iisdem parentibus fratrem se natu maiorem et sororem habuit. De quibus, antequam ad ipsius Sexti vitam exponendam transeamus, pauca praemonere libet.

De maioribus autem meminisse sufficiat, gentem fuisse plebeiam¹, Pompeiis, Campaniae oppido, oriundam², duas familias continentem, alteram Ruforum, ad quos pertinent Bithynici, alteram maiorum Tri-

1) Multi enim Pompeii fuerunt Tribuni Plebis. Liv. epit. 1. 59: *Q. Pompeius et Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe facti Censores, Iustrum condiderunt a. U. 623.* Cic. Brut. 76.

2) Pighius II, 427. Vaillant. numm. ant. fam. Rom. Pomp. in. Herculem, cum Geryones Hispaniae regis armentis *pompam* triumphi sui exhibentem, huius urbis auctorem fuisse narrat Solin. 2, § 5. Serv. ad Virg. Aen. VII, 662. Isidor. Orig. XV, 1, cf. Strabo V, 245; 247. Unde repetendum videtur, in numis Pompeianis subinde inveniri Herculis caput, pelle leonina tectum, cum eius armis, pharetra, arcu, clava.

umviri, nullo usque ad Magnum cognomine insignitorum¹.

Mater eius Mucia, Q. Mucii Scaevolae eius, qui anno 659 U. c. Consul fuit, filia, tertiaque Pompeii uxor fuit², cui Asconius Pedianus cognomen *Tertiae* tribuit, unde tamen effici non potest, illam duas praeterea sorores natu maiores habuisse³. Q. Q. Metellorum Celeris (Cos. 694) et Nepotis (Cos. 697) soror fuisse consobrina⁴ videtur, et nupsisse Pompeio Magno non multo post Aemiliae mortem, quae obtinuit anno U. c. 672 vel sequenti anno. Post bellum vero Mithridaticum, a. U. c. 692, Muciae, adulterii cum Caesare incusatae, antequam Urbem ingressus est, nuntium remisit; causam vero palam facere⁵ et Caesarem sibi succensere noluit, quem, ut Suetonius narrat, gemens Aegisthum nominare contentus erat. Divortium autem illud Romae vehementer probabatur; haud tamen a Muciae cognatis⁶. Eadem po-

1) Vell. Pat. II, 22; *Seu duae, seu tres Pompeiorum fucere familiae; primus eius nominis, caet.*

2) Prima fuit Antistia, secunda Aemilia, tertia Mucia; deinceps Iuliam et Corneliam duxit.

3) In arg. ad Scaur. in. pag. 19 ed. Orell. Perinde erat cognomen ac Quarta et Quinta, Quintus, Sextus vel Decimus; vd. Heinrich. ad Asc. Ped. I. I. p. 125 ed. Peyron. et Beier.; Ernest. in clavo Cic. v. Mucia; Onomast. Orell. s. v. et omnino Drumann, Gesch. Roms in seinem Uebergange etc. II, p. 375; IV, p. 557.

4) Dio Cass. XXXVII, 49. Cic. ad fam. V, 2; 6: *cum vestra sororo*, ibique Manut. Drumann. I. I. IV, 557; cf. II, 24. Sororis nomine saepe designantur sorores patruales, amitinae vel consobrinae.

5) Suet. Caes. 50. Cic. I. I. Dio I. I. Zonar. X, 5. Asc. Ped. I. I. Hieron. in Iovin. I, 48. Plut. Pomp. 42, causam in Ciceronis epistolis fuisse scriptam refert, in quibus tamen ego non reperi.

6) Cic. ad Att. I, 12, § 3. Ad fam. V, 2, § 6. Dio I. I.

stea nupsit M. Aemilio Scauro ¹, alterius Pompeii Magni uxoris fratri, Sullae privigno, quorum filius Marcus Pompeii liberorum frater habitus est, utpote qui ex eadem matre natus esset ². Anno 715 U. c. populi iussu Sextum filium in Siciliam adiit, ut pacem ei cum Triumviris suaderet ³. Etsi varia fortuna usa, ad magnam tamen pervenit aetatem; etenim post pugnam Actiacam, a. U. c. 723, ab Octaviano honorifice eam affectam fuisse legimus ⁴.

Sexti frater natu maior fuit Co. Pompeius Magnus, natus intra annos 674 et 679 U. c. Illo enim anno pater Muciam uxorem duxisse videtur; hoc autem Sextum, fratrem minorem, natum fuisse traditum est. Quum autem haereditaria fere his temporibus essent facta cognomina, Magnus uterque frater cognominatus est ⁵. Huius autem et fratris facta et fata tam arcte coniuncta fuerunt, et quasi inter se contexta, ut de iis una agere facilius meliusque duxerim.

Soror eius Pompeia, utrum maior minorve fuerit, e scriptoribus non liquet. Nupta fuit Fausto, Sullae

1) De M. Aemilio Scauro, patre et filio, vd. Drumann.

2) Asc. Ped. l. l. Dio LI, 2; LVI, 38; cf. infra diss. cap. V.

3) Appian. V, 69, sqq. Dio XLVIII, 16; cf. infra diss. cap. III.

4) Dio LI, 2; cf. omnino Drumann. in vita.

5) Cf. Lucan. Phars. IX, 121; 145. Cic. Phil. V, 15; XIII. 4; 21; et passim in numis. Obbarius ad Cic. epp. I, 2, p. 133: „quamquam” ait „cognomina non semper hereditaria fuisse me non fugit, ea tamen, quum plerumque maiorum virtutibus ac gloria illustrata essent, a posteris religiose retenta et custodita fuisse, nemo non mihi largietur. Eckhel, doctr. num. vet. V, 282; VI, 26. Duravit autem hoc cognomen in familia, dum a Caligula, qui vetera familiarum insignia et titulos ademit, aboleretur; Suet. Cal. c. 35, instauratum tamen a Claudio, Dio LX, § 5.

Dictatoris filio, ex quo duos peperit filios¹. Post mortem Iuliae, a. U. c. 700, Iulii Caesaris filiae, Pompeii Magni uxoris, ipse Caesar sibi eam in matrimonium quaesivit, utque Faustum dimitteret, petiit; ipse Calpurniam dimissurus; quod tamen factum non est². Maritus occidit in bello Africano, a. U. c. 708³. Post illud tempus Cicero quoque, Terentia repudiata, ad matrimonium cum ea admonitus fuisse videtur, verumtamen de ea non cogitavit⁴. Nihil ob Fausti necem Caesari infensa, cum huius sororis marito, L. Cornelio Cinna, secundas nuptias inivit, e quibus natus est Cn. Cinna Magnus, qui postea coniuravit contra Octavianum⁵. Pompeia belli Siculi temporibus aliquamdiu apud fratrem in Sicilia degit, ubi Tiberium, tres annos natum, comitem parentum fugae, (postea Imperatorem) muneribus donavit⁶. Sextus ei fuit superstes, adeoque mortua est ante annum U. c. 719⁷.

Sextum autem Pompeium Magnum anno U. c. 679 natum fuisse, ex Appiano efficitur, qui eum anno U. c. 719 quadragesimum aetatis annum agere memoriae tradidit⁸. Cui narrationi si fides haud deneganda est, Pompeius Magnus Muciam uxorem gravidam reliquit, anno U. c. 678, quum adversus Sertorium in Hispaniam proficisceretur. Absente igitur patre,

1) Auct. de bello Afric. 95. Plut. Caes. 14; Pomp. 47; comp. Ages. cum Pomp. 1. Dio XLII, 13. Eutrop. VI, 23 (18). Flor. IV, 2.

2) Suet. Caes. 27, ubi *destinatam* valere *nuptiam* argumentis probat Drumann. IV, 592. 3) Il. cc. Bell. Afric. l. c. Appian. II, 100. Florus autem, IV, 2, et Orosius, VI, 16, falluntur, narrantes Caesarem eam quoque cum liberis interficiendos mandasse. 4) Cic. ad Att. XII, 11.

5) Dio LV, 14. Seneca de Clement. IX, 2. 6) Suet. Tib. 6.

7) Seneca Consol. ad Polyb. 34. App. V, 144. Huius vitam exposuit Drumann. IV, 591. 8) App. V, 144.

et, ut suspicari licet, in ipsa Urbe Romae natus est¹.

In numismatibus eius nomine insignitis *Pius* quoque nominatur, non, ut Vaillant suspicatus est, ob pietatem erga patriam, propter tot nobilissimos a se servatos cives; verum, quemadmodum frater, qui tanquam patris vindex in Hispania prope Mundam contra Caesarem dimicans, *Pietatem* pro tessera dederat², sic quoque Sextus, patris et deinceps fratris etiam vindex, *Pius* appellatus est. *Pietas* hinc dea in huius numis conspicitur, atque idem symbolice indicatur Anapia et Amphinomo, fratribus Catanensibus, qui parentes humeris sublatis, ex ignis procurrentis periculo eripiunt³.

Praeceptorem habuerunt Aristodemum, Nysa, Ioniae urbe oriundum, Aristarchi filium, quem iam decrepitem Nysae audivit ipse Strabo admodum adolescens, quique rhetoricam etiam docuit et in Rhodo et in patria duas habuit scholas, ita ut mane rhetoricam, vesperi grammaticam tractaret; sed Romae Pompeii Magni filius praefectus, grammatica schola fuit contentus⁴.

Piratico bello iuvenes patri tanquam legatos affuisse, ut Florus narravit, nemo crediderit, quoniam eo anno, 687 U. c., ipse Sextus octo demum annos, Cnaeus certo

1) Quod quoque argumentum esse haud contemnendum iis, qui probare studuerunt; Pompeium non anno 677, verum sequenti demum anno in Hispaniam profectum fuisse, ut Drumann. IV. 361. diximus supra pag. 26.

2) App. II, 104.

3) Vidd. numi in tab. huic operi addit. et ap. Ursin. fam. Rom.; Vaillant. num. fam. Rom.; Parut. Sicil.; Eckhel. doctr. num. cf. Strabo VI, p. 269 et Cora. Sever. in Aetna v. 130. Cic. Phil. V, 14: — duos Cn. Pompeii filios incolumes haberemus; quibus certe pietas fraudi esse non debuit. Drum. I. I. p. 560, ubi errore typ. Vaill. n. 18 pro n. 17.

4) Strabo 650. cf. supra pag. 4.

non amplius tredecim habuit; quamquam discendi gratia patrem comitari potuerunt¹.

Neque magis vera sunt, quae de nostro Lucanus cecinit, quem in Thessalia Pharsalico proelio interfuisse ait, a. U. 706, ibique magicorum arcanorum studiosum, spretis verioribus oraculis, veneficas Thessaliae adiisse. Quarum unam Erichtho, more a reliquis diverso, urbes fugientem et deserta incolentem, cadavera inquirentem, lacerantem ad suasque artes adhibentem, a Sexto paucisque comitibus investigatam esse narrat. Porro narrat, veneficam, tum quoque unum ex cadaveribus sibi elegisse et carminibus suis effecisse, ut revivisceret atque omnia, populo Romano et imprimis Pompeiis infausta eloqueretur. Quo facto Erichtho, rogo incenso, cadaver denuo mori iubet et Sextum ad castra redeuntem comitatur².

Perperam quoque idem hunc, fuga e Thessalia Lesbum devectum, postero die patrem, qui insulam iam nocte cum Cornelia reliquerat, assecutum fuisse finxit³. Omnes enim reliqui hac de re scriptores consentiunt, filium a patre extra belli tumultum clam una cum Cornelia matre in Lesbos ablegatos fuisse⁴.

Cnaeus in bello civili adversus Iulium Caesarem a. U. c. 705 in Syriam et Alexandriam ad classem copiasque parandas missus est, ubi iam tum, salutis metu, cum sibi devincire conata est Cleopatra⁵. Praeter quingentos equites, quos A. Gabinius, a. 699 prae-

¹) Flor. III, 6, § 9.

²) Lucan. Phars. VI, 419 sqq.

³) Id. VIII, 204 sq.

⁴) Plut. Pomp. 66; 74; App. V, 133. Dio XLII, 2; 5. Zonar X, 9. Lucan. V, 724 sqq.; VIII, 151 sqq. Vell. autem Pat. II, 53. Pompeii Magni comites solum indicavit, nihil de locis, ubi hos exceperit, locutus.

⁵) Plut. Ant. 25.

sidi causa, regi Ptolemaeo in regno constituto, ad Nilum reliquerat, quinquaginta naves anno 706 in mari Adriatico classi adiecit¹, quibus tamen haud impedivit, quominus Caesar illaesum in Illyriam exercitum traiceret². Etsi enim postea revertentes inanes ad Oricum, aliasque prope Lissum incenderit³, summam tamen rerum pedestres copiae confecerunt, quocirca post cladem Pharsalicam naves illae Alexandriam redierunt⁴, ipse autem Corcyram devectus, cum Pompeianarum partium nobilissimis, de iis, quae agenda essent, deliberavit, ibique Ciceronem, pacis suasorem, quominus interficeret, a Catone vix prohibitus est⁵. Inde re infecta, dissipati plerique, quo quemque casus deferebat, discesserunt; Cn. Pompeius et Cato Patras in Achaiam se receperunt⁶, unde Laconiam et Cretam praetervecti, Africae oras legerunt et Corneliae, Pompeii Magni uxori cum filio Sexto ex Aegypto redeunti, obviam facti sunt⁷.

Hos enim anno 706 U. c. pater e Thessalia profugiens, Mytilenis receptos, fugae comites habuerat. Hinc in Ciliciam et Cyprum et tandem ad Aegyptum delatus, in eorum conspectu interemtus est, a. d. III kalendas Oct. annum aetatis agens duodesexagesimum⁸.

¹) Caes. de Bello civ. III, 4; 103. Valer. Max. IV, 1, § 15. Senec. Cons. ad Marc. 14. App. II, 49.

²) Caes. ibid. III, 6. ³) Ib. III, 8; 40. Plut. Pomp. 62.

⁴) Ibid. III, 111. Dio XLII, 12. ⁵) Plut. Cic. 39. Cato Min. 55. Cic. p. Deiot. 10. ⁶) Lucan. IX, 121; cf. Dio XLII, 13; 14. Bell. Alex. 44. ⁷) Plut. Cato Min. 56. Lucan. IX, 36—121; quibus Dionis Cassii, l. 1. 13, sententia refutatur, eos Cyrenis de Pompeii morte certiores factos fuisse, quum contra postea demum eo profecti receptique sint. cf. Liv. 112; vd. infra pag. 39.

⁸) Vell. II, 53. App. II, 85. Dio XLII, § 5. Plut. Pomp. 79. cf.

Exinde uxor et filius maxima cum festinatione prosequentibus Aegyptiis, secundo vento ad Cyprum refugerunt¹, et non multum post Cnaeo et Catoni occurrerunt, quos de Pompeii interitu certiores fecerunt.

Pompeii Magni morte, et patria egregium virum, et liberi non solum optimum patrem, sed ingentes etiam opes et divitias amiserunt; bona enim eorum, qui sub armis manserant, a Caesare publicata sunt²; sic Cnaei quoque et Sexti bona Romae distracta sunt, et vendita sub hasta, quorum maximam partem M. Antonius³ et P. Dolabella⁴ sibi compararunt, sperantes, pretium nunquam sibi persolvendum fore⁵; quod, etsi saepe vi a Caesare exactum sit, solutum fuisse nusquam legimus, quare fortasse Appianus Antonium dono a Caesare hortos accepisse dixit⁶.

Antonius autem emit Pompeii domum in Carinis, qui erat locus Urbis in convalle Coelii et Esquilini montis circa templum Telluris⁷, nuper post bellum

Drum. III, 524. Minus recte Florus eum in liberorum conspectu necatum fuisse tradidit, quem secutus est Freinshem. suppl. ad Liv. CXII, 17.

1) Liv. 112. Luc. IX, 117 et auct. cc.

2) Cic. de Off. I, 14; Tusc. Qu. I, 35 fin.; Phil. II, 36; ad fam. XIII, 8; ad Att. XI, 20. Val. Max. VI, 2, § 11.

3) Dio XLV, 9; 28; XLVI, 14; XLVIII, 38; Plut. Ant. 10; 21; 32. Caes. 51, ubi pro *Cornificio Antonius* legendus est. App. III, 14; V, 79. Cic. Phil. II, 15; 25; 27; 29; ad Att. XII, 18. Vell. II, 60, § 3. Non tamen *solus* emit, ut Cicero ei inter multa opprobra obiecit. Drummann, I, 1.

4) Cic. Phil. XIII, 5; ad Att. XV, 13. Dio XLII, 50 fin.

5) Dio I, 1.; et XLV, 28. 6) de Bell. civ. III, 14; quod efficitur a Dione II, II, XLVI, 14; XLVIII, 38. Cic. Phil. II, 29; 31; VI, 25; 27 ad Att. XII, 13, § 7. Plut. Ant. 10.

7) App. II, 126. Dio XLVIII, 38. Plut. II, II. Vell. II, 77. (A. Vict.) de vir. ill. 84. Suet. Tib. 15; de grammat. 15. Serv. ad Virg.

Mithridaticum instauratam et amplificatam¹, in qua, ut ait Cicero, „maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa, et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa, quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis².” Quam quidem domum post Caesaris mortem adhuc possidebat³; nam reliqua illa omnia paucis diebus dissipaverat. Praeter alia quaedam urbana, hortos etiam Pompeii emit extra Urbem situs, qui satis ampli fuisse videntur et ubi plerumque degere solitus fuerat Pompeius⁴. Porro Tusculanum Pompeii accepit⁵ et Falernum, quem agrum familiari suo Anseri, malo cuiusdam poëtae, donavit⁶.

P. autem Dolabella, tertius Tulliae, Ciceronis filiae, maritus⁷, ex Pompeii bonis emerat Albanum, non procul ab Alba Longa et Aricia ad Albanici montis radicem situm⁸, ubi Cornelia Magni cinera humaverat⁹; idem praeterea Formianum in Latio ad mare

Aen. VIII, 361: Carinae sunt aedificia facta in Carinarum modum, quae erant circa templum Telluris, in quarta regione divisionis Augusti, P. Vict. et Sex. Ruf. de reg. Urb. Rom. reg. 4.

1) Plut. Pomp. 40; coll. Donat. de Urbe Roma III, 8, in Graev. thes. III, p. 695. Cic. Phil. II, 28. Iul. Capit. Gordian. c. 1.

2) Phil. II, 27. 3) Cic. Phil. II, 25; 27. Dio XLV, 9.

4) Ut Donat., II, 23, et Plut. Pomp. 44 et Asc. ad Cic. Milon. arg., docet, utque idem autumat, in Pincio monte. Vd. Vell. Pat. II, 60 ibiq. interpp. cf. Plut. Cato Min. 30. 5) Cic. Phil. XIII, 5.

6) Serv. ad Virg. IX, 36, es. Garaton, ad Cic. l. c. Weichert. Poët. Lat. comm. de Helvio Cinna. 7) Primum enim Tullia C. Calpurnio Pisoni, deinde Furio Crassipedi desponsa fuerat. Plura sciendi cupidus adeat Drumann. in illius et Tulliae vitis; cf. clavis Ern.

8) Cic. ad Att. IV, 11; VII, 5; pro Milon. 20.

9) Plut. Pomp. 80.

iacentem agrum inter Caietanam et Minturnas sibi acquisiverat¹.

Magnas praeterea in agro Piceno possessiones habuerat Pompeius Magnus², pluresque villas, ut in Campania prope Cumas³, aliam in regione Baiana summo montis iugo impositam⁴, in Calabria prope Tarentum⁵, et in Etruria prope Alsium⁶. In Lucania quoque possessiones habuerat⁷, quas deinde occupavit Demetrius, Caesaris libertus⁸.

Cnaeus igitur patris fato audito, iusta ardens pietate, Aegyptum adire et patrem ulcisci paravit; sed Cato iuvenis iram continuit⁹. In Cyrenaeorum urbem deinde receptus est¹⁰, et haud diu post, medio fere anno sequenti 707 U. c., certe ante bellum Africanum¹¹, Uticam reliquit cum triginta navibus et exercitu servorum et liberorum numero duorum millium partim inermium¹². Pompeianorum optimates libenter eum dimiserunt ut saevum et suspiciosum hominem, qui crudelitatem virtutem putaret¹³; eum autem, ut res in omnem eventum pararet, in Hispaniam praemisissent, quam seditionibus agitari audiverant. Postquam frustra Aesurum, Mauretaniae urbem, tentaverat, Balcares in-

1) Cic. ad Att. VII, 8; Phil. XIII, 5, es. Garaton. ad h. l. et ad Att. XV, 13. Dio XLII, 50.

2) Vell. II, 23. Bell. Afric. 22. Plut. Pomp. 6. Dion. fragm. 133.

3) Ad Att. IV, 9; 10. 4) Senec. epist. 51. 5) Ad Att. V, 5; VI, 7.

6) Cic. p. Mil. 20. 7) Cic. Phil. XIII, 5.

8) Cic. l. 1. Dio XLVIII, 40, ibique Fabric.; Zonar. X, 23.

9) Lucan. IX, 146 sqq. 10) Ibid. 297, qui vi Cyrenas oppugnatas fuisse ait; cf. Plut. Cato Min. 56. 11) Quod ex his colligi potest locis: Dion. XLII, 56. Liv. 113. Plut. Cato 59.

12) Dio l. 1. Bell. Afric. c. 23.

13) Cic. ad fam. XV, 19; ad Att. XII, 37; cf. B. Hisp. 20; 21.

sulas ad Hispaniae oram¹, has sine proelio, Ebusam vero, e Pityusis unam, non sine labore cepit², ubi tamen morbo correptus, aliquamdiu cum militibus substitit³.

Interea dum tempus teritur, milites, qui in Hispania erant, criminis seditionis adversus Q. Cassium Longinum, Caesaris propraetorem⁴ sibi conscii, audito Scipionem periisse et C. Didium adversus se cum classe proficisci, verebantur, ne, si Pompeium expectarent, ante eius adventum opprimerentur. Itaque, Trebonio eiccto, duces sibi elegerunt T. Quintium Scapulam et Q. Aponium, equestres viros. Tandem, anno 708 U. c., Cnaeus in ipsam continentem traiecit⁵, receptisque nonnullis urbibus, aliis vi, aliis sponte auxilia mittentibus, Carthaginem Novam, quae societatem repudiaverat, obsedit; quod ubi Scapula cum suis cognoverunt, Imperatorem sibi delegerunt, ita ut et his et omnis generis advenis mirum in modum creverit copiarum numerus⁶.

Sextus, interea in Africa moratus, post cladem ad urbem Thapsum, mense Aprili a. 708 U. c., cum T. Labieno, Attio Varo, Arabione aliisque ex Africa cum

1) Eadem ac Gymnesiae insulae, hodie Mallorca et Minorca.

2) Altera Pityusarum erat Ophiusa s. Colubaria; hod. Ivica et Formentera.

3) Dio XLIII^e, 29; 30. Quo factum est, ut Romae de eo ignorarent. cf. Cic. ad Att. XII, 2. 4) De hoc vd. Drumann, II, 153 sqq.

5) Dio XLII, 56; XLIII, 30. App. II, 87, ait, eum cum Labieno et Scapula statim a Coreyra in Hispaniam traiecisso; Belli Afric. scriptor, 22, 23, eum Africam demum post proelium apud Ruspnam reliquisse et Hisp. Belli auctor, c. 1, demum post pugnam ad Thapsum. cf. Cic. l. l.

6) Dio XLIII, 40. Bell. Hisp. 1. Plut. Caes. 56. App. II, 103. Vell. 55. Nicol. Damasc. Exc. Valer. 481, ed. Orell. p. 101.

classe illi sese iunxerunt¹, ita ut brevi ad tredecim legionum numerum auctus sit exercitus². Summum tamen imperium solus sibi retinuit, nunc denique, Scipione et Catone, Afranio et Petreio sublatis³, sibi ipsi, non aliis depugnaturus.

Caesar autem, victis in Africa hostibus, bellum finitum ratus, Cnaeum ipsum cum suis parvi aestimavit, et tantum e Sardinia cum classe adversus eum emisit legatum C. Didium⁴, cui subsecutae sunt lectae legiones aliquot⁵. Legati vero in Hispania Q. Pedius et Q. Fabius Maximus, quum se non satis instructos ad confligendum cum hoste putarent, huius viribus in dies crescentibus, nihil agebant ipsi; sed Caesarem, ut adventum maturaret, adhortabantur. Quo cognito Pompeius, cogitans ad totam Hispaniam obtinendam sibi non satis esse virium, in Baeticam se recepit, ⁶ cuius discessu omnis ora maritima ab eo statim defecit. Varus quoque apud Carteiam a C.

1) Dio l. l. App. II; 87; 103. 2) Cic. ad fam. VI, 18; cf. VI, 4. B. Hisp. 7; 30. 3) Metellus Scipio in nave circumventus, quaerentibus Imperatorem hostibus exclamans: „Imperator bene se habet?“, praecipitem se dederat in undas. M. Porcius Cato Minor s. Uticensis mense Aprili anni U. c. 707, Uticae se ipse interfecerat, L. Afranius a P. Silio captus et interemptus fuerat. M. denique Petreius et Iuba, Numidarum rex, sese invicem interfecerant.

4) Dio XLIII, 14; 17; 28; cf. B. Hisp. 37; 40. 5) Dio l. l. 30.

6) Hodie Andalusia cum Granada. Hispania antiquitus divisa fuit in duas partes: Citeriorem et Ulteriorem, Ibero (Ebro) fluvio distinctas; postea sub Augusto in tres: Tarraconensem s. Citeriorem, Baeticam, et Lusitaniam, quarum illa septentrionalem complectens partem, ambas simul reliquas meridionales magnitudine superabat. Tota Hispania, excepta septentrionali parte, imprimis Baetica, eximia fertilitatis erat, quae multis modis apud veteres celebrata est.

Didio navali proelio victus, cum aliquot navibus ad terram vix evasit¹. Mediterranea tamen Hispania omnis cum Pompeio se coniunxerat, excepta Uliā, oppido in sinistra Baetis ripa sito².

In huius oppidi obsessione quum aliquot iam menses occupatus esset, Caesar, exeunte anno 708 U. c. solita cum festinatione septem et viginti dierum itinere Roma Obulconem venit, quae urbs abest a Corduba trecenta stadia, tanta cum celeritate, ut ipse primus sui adventus nuntius et suis et hostibus extiterit³. Cnaeus vero nihil eius adventu exterritus, suis viribus fretus, in obsidione et oppugnatione haud secus quam ante, perrexit⁴; at cives clam miserunt legatos, qui a Caesare praesidia peterent. Quapropter obducta et turbulenta nocte maxima calliditate atque audacia per medios hostes sex cohortes parique numero equites intra oppidum ducti sunt, L. Ianio Paciaeco, illorum locorum perito, duce. Quum nihilo secius Uliam obsidere pergeret, Caesar, ut inde eum deduceret, adversus Sextum, qui Cordubam⁵

¹) Illa urbs *Crantia* vocatur a Dione XLIII, 31; cf. omnino intt. ad h. l.

²) Sic recte haec urbs ex inscriptionibus et numis scribitur; vd. Ez. Spanheim, diss. 9 de usu numism. p. 901 (ed. a. 1671); cf. Gruter. inser. p. 271, n. 1. Ab Hirtio *Ulla*, a Pomponii Mela *Ούλια*, a Ptolemaeo *Ούλλια*, a Strabone, III, p. 141, *Ἰουλλία* vocatur.

³) Strabo III, 161. App. II, 103. Dio XLIII, 32. Suet. Caes. 56, locum minus remotum respexisse videtur; loquitur enim de quatuor et viginti diebus. Oros. IV, 16., describentium errore septendecim tantum numerat dies, neque Obulconem sed Saguntum, maxime inter se distantes urbes. B. Hisp. 2.

⁴) Dio l. l. B. Hisp. 3; cf. App. II, 103.

⁵) Illius provinciae caput, ad dextram fluminis Baetis ripam conditum. Utriusque Senecae et Lucaei patria. cf. Strabo p. 141.

cum praesidio tenebat, se convertit, quod consilium probavit eventus¹. Praemisit cum equitatu loricatos viros fortes, qui simul atque in urbis conspectum venissent, in equos reciperentur, ita ut a Cordubensibus nequaquam animadverterentur. Sic iis appropinquantibus magna civium multitudo, ad equitatum concidendum obviam facta, a loricatis, ab equis desilientibus, interfecta est. Timore adductus Sextus literas fratri misit, ut celeriter cum subsidio veniret, quibus Cnaeus excitus, Uliam prope captam reliquit et cum copiis ad Cordubam profectus est². Quem, quamvis omni cura adhibita, Caesari non contigit, ut ab urbe commeatuque excluderet, vel in aequum duceret locum, ut maiori proelio de bello decerneret³. Ad Atequam igitur, firmissimum Pompeii praesidium, quam urbem, duo circiter millia passuum a flumine Salso distantem, cibus refertam audiverat, iter facere coepit. Quod cum Pompeius rescivisset, Cordubam munivit et confirmavit, ibique hiemare statuit, tum quia mi-

1) Dio et B. Hisp. II. II.

2) Dio I. I. auctor est, bis Cnaeum Cordubam adisse et bis Uliam reliquisse. Primum eum Cordubam Sexto custodiendam tradidisse, deinde tandem, Uliam omnino relicta, toto cum exercitu ipsum fratri auxilio profectum fuisse.

3) B. Hisp. 4—6. Dio I. I. Caesarem, tunc morbo confictatum, Cnaei adventu recessisse memoriae prodidit, cuius morbi ne verbo quidem meminit auct. B. Hisp., qui tamen eorum, quae hoc tempore gesserit Caesar, amplam dedit expositionem. Nec tamen mirum fuisset, quippe qui media hieme, commeatu fere carens, exiguis iisque incommodis tabernaculis cum exercitu utens, bellum gerere in montuosis et asperis locis coactus esset. Nisi forte, ut olim quoque Casaubonus suspicatus est, hoc loco de morbo comitali cogitandum est, quo Caesarem bis inter res agendas correptum fuisse apud Suetonium, Caes. 45, legimus. cf. Plut. Caes. 53.

lites suos frigore affligi nolebat, tum quia, fidens Ateguae tuta loci natura, quippe quae in monte sita esset, Caesarem propter anni tempus, frigore et fame coactum, obsidionem diu prosequi non posse existimabat. Quum tamen oppugnari illam et vallo circumdari cognovisset, cum Labieno eo profectus, sub matutinum tempus, nebula crassissima exorta, Caesaris praesidia adortus, magnam inter illa stragem edidit¹. Quum autem oppidanos duce carere intelligeret, L. Munatium Flaccum misit, qui dolo, solus medias per hostium excubias, in oppidum salvus pervenit².

Insequenti nocte Pompeius, castris incensis, flumen Salsum traiectus, in monte inter Ateguam et Ucubim in conspectu utriusque oppidi castra constituit, nec tamen ausus est suis subsidio venire. Aquilas quidem et signa habebat tredecim legionum, sed ex quibus aliquid firmamenti habiturum se existimabat, duae fuerunt vernaculae legiones, quae a Trebonio transfugerant, tertia facta e coloniis, quae erant in his regionibus, quarta fuit Afraniana, quam ex Africa secum adduxerat, reliquae e fugitivis constabant; levis autem armaturae militibus equitibusque longe et virtute et numero superiores erant Caesariani. Quo magis in longius bellum trahere cupivit Pompeius, quum praeterea loca edita castris muniendis valde idonea, et oppida, plerumque in montibus sita, ipsa natura contra hostes essent munita³.

1) B. Hisp. 6. Dionis verba hunc locum, ab auct. B. Hisp. paullum obscure et dubie relatam, egregie explicant.

2) Dio l. l. 34. Frontiu. Strat. III, 14; cf. B. Hisp. 19.

3) B. Hisp. 7; 8.

Non procul ab eius castris Caesar praesidii causa castellum in tumulo quodam, qui Castra Postumiana appellabatur, constitutum habebat. Quod quum Pompeius facile oppugnari posse opinaretur, aggressus est; sed cum ab ipsis custodientibus vehementer repulsus, tum maxime a Caesare, qui cum tribus legionibus iis auxilio advenerat, fugatus et clade affectus est. Quo facto noctu castris incensis, rursus Cordubam versus castra movit¹.

Interim, Caesare omnibus modis Ateguam occupare studente, quotidie acerrime pro muris pugnatum est, et eruptionibus factis levioribusque cum ipso Pompeio proeliis haud parva quoque damna Caesari allata sunt².

Crescentibus igitur inopia et difficultatibus, acerbitas quoque et crudelitas utrarumque partium creverunt. Non enim solum optimum quemque e Pompeianis captum necabant, verum etiam ab altera parte Munatius Flaccus complures Ateguae incolas, suos hospites, quos de urbis deditioe cogitasse cognoverat, in hostium conspectu iugulavit et de muro praecipites deiecit³. Quam tamen iugulationem Pompeius et Labienus indignati sunt. Tandem vero post multa detrimenta accepta, non quidem sine hostium damno, oppidani, qui frustra ad Pompeium perrumpere conati fuerant, quum iam ipse Pompeius obsessis praesidium ferre non posset, et de retinendo oppido desperaret, immo ad mare secedere cogitaret, tandem a. d. XI. Cal. Mart., cum L. Munatio pacta vitae salute, urbem dederunt⁴.

1) Ibid. 9; 10. 2) Ibid. 6—20. Dio 1.1. 3) Ibid. 16.

3) B. Hisp. 15; 16; cf. 13. Valer. Max. IX, 2, § 4. Dio 1.1.

4) B. Hisp. 19. Dio 1.1.

Quod ubi Pompeius e perfugis rescivit, Ucubim versus castra posuit, et suspiciosus propter acceptam calamitatem, oppidanos septuaginta quatuor, qui dicebantur Caesaris victoriae esse fautores, securi percussit. His aliisque crudelibus facinoribus Hispanos metu continere studuit, nec statim omnes urbes desciverunt¹.

Caesar, etsi semper castris castra opposuit, et assidue minora proelia vario Marte commissa sunt, parum profecit. Itaque brachia ad flumen Salsum ducere coepit, ut Pompeium ab urbe Ucubi excluderet, et sic ad decernendum provocaret. Is tamen in aequum locum non descendit, sed excelsum tumulum occupare studens, a Caesarianis idem petentibus prohibitus est, et in planitiem deiectus. Multis amissis, vespera tuente periculum vitae effugit et in montem evasit. Nihilominus tamen hostem vexare non destitit et velitum equitumque frequenter pugnae factae sunt, et vero, ut in Troiano bello, singuli singulos ex acie ad certamen provocarunt, et quasi de summa rerum certarunt².

Etiamsi Pompeius, literis missis ad civitates³, animos incolarum confirmare, et divulgare conatus est, non se, verum Caesarem discrimen pugnae detrectare, neque aequo loco sui potestatem facere, atque propterea bellum confectum nondum esse, tamen eorum fiducia spesque salutis et confidentia propter rei militaris scientiam, minor erat, quam spes falsa et verecundia

1) B. Hisp. 20; 21; 22. Dio I. I.

2) B. Hisp. 25. 3) Tametsi apud auct. B. Hisp. 26, legimus, solum literas Ursaonem missas deprehensas fuisse, haud a vero alienum videtur, ad singulas suas civitates idem fecisse Pompeium; vd. quoq. Drum. III, 635.

crudelitatis eius. Hinc frequentia transfugia, perfidiae, coniurationes, quamquam Caesari etiam nunc vel minime contemnendus hostis erat. Tandem a. d. III. Non. Mart. Ucubim deseruit, et Hispalin versus movit, ubi paullulum constitit. Quem Caesar, Ucubi incensa, aliisque oppidis receptis, continuo secutus est, donec in Mundensem campum ventum sit, ubi utrique ex adverso castra posuerunt¹.

Rebus tandem et suorum adhortationibus coactus, Pompeius maiori proelio de summa rerum sibi decernendum esse statuit. Septimo decimo igitur die mensis Martii (XV Cal. Apr. anni U. c. 709), dum Romae celebrabantur Liberalia, de tertia vigilia ad proelium se paravit. Caesar, ut in Pharsalico proelio, *Venerem Victricem*, Pompeius *Pietatem* pro tessera dederat. Fuit autem mirificum et optandum tempus prope a diis immortalibus ad proelium committendum iis tributum. Planities inter utraque castra intererat, circiter millia passuum quinque, ita ut Pompeius a tergo haberet oppidum natura sua tutum, et ante se in campo rivus, per palustre solum currens, difficilem accessum efficiebat. Caesar, qui hostem quoque in planitiem descensurum esse non dubitaverat, ad dimicandum processit; verum illi ab oppidi munitione longius ad campum non progressi sunt, Caesari importunissimum negotium, quum rivo illo palustri impediretur.

Ne igitur aliquid temere perageret, in eo loco ob-

1) B. Hisp. 25—27. Strabo pag. 141: ἔστι δὲ ἐν αἰς (πόλεων) οὗ Πομπηίου παῖδες κατεπολεμήθησαν, Μούνδα, καὶ Ἀπέτονα, καὶ Οὐρόων, καὶ Τοῦκίς, καὶ Ἰουλίαι, καὶ Αἰγόνα· ἅπασαι δ' αὖται Κορδύβης οὐκ ἔπωθεν, τράχον δὲ τινα μητροπόλις κατέστη τοῦ τόπου τούτου Μούνδα.

sistere statuit. Quo visu adversarii alacriores redditi, ad dimicandum descendunt. Itaque magno clamore proelium commissum,¹ et per totum diem summa concertatione certatum est. Caesar, tot modo gentium, tot tantorumque virorum victor, nunc, aegre resistantibus suis, ac iamiam repressis, in eo fuit, ut omnium victoriarum fructum amitteret. Equo igitur descendens² et nudato capite, ut ab omnibus agnosceretur, per ordines discurrens, clamavit: ecquid eos puderet, ipsum pueris tradere conantes³, et vociferans: iam nunc et mihi vitae finis erit et vobis militiae⁴, consistens ante recedentem suorum aciem, verecundia et pudore milites ad virtutem revocavit. Neque Pompeius sibi pepercit, sed ex equo desiliens proelio se quoque immiscuit. Sic uterque dux adeo corporis labore ac periculo potius, quam animi contentione congredi maluit, sperans fore ut vel momentum suis militibus ad victoriam praesens afferret, vel certe amissa victoria una occumberet. Neutri tamen exercitus fu-

¹) B. Hisp. 27. sqq. Liv. 115. Suet. 36, 56. Lucan. I, 40. Plin. III, 3 (1); XXXVI, 29 (18.) Vell. II. 55. Flor. IV, 2, § 78. Entrop. VI, 24 (19) Oros. VI. 10. (A. Vict.) de vir. ill. 78 et 84. Plut. Caes. 56. Strabo III, 141; 160. Sil. Ital. III, 400. App. II, 104, qui perperam apud Cordubam pugnatum fuisse ait. A Dione XLIII, 36. et Zonara X, 10, locus non memoratur. In inscriptione ap. Gruter. p. 225. p. 2. in Hispania inventa: *Bellum Caesaris et patriae ex magna parte confectum, Sex. et Cn., Magni Pompeii filiis, hic in agro Bastetanorum profligatis*, sine dubio legendum est *Bastetanorum*, quod nomen erat gentis ad oram maris inter Calpen et Gades habitantis. Strabo III, 141. Drum. l. l. 2) Dio l. l. 37. Vell. l. l. Flor. l. l. § 82. Frontin. Strat. II, 8, § 13. Polyaen. VIII, 23 § 16. cf. Caes. de B. Gall. I, 25. Suet. 60. 62. Plut. Caes. 18. 3) Plut. Caes. 56.

⁴) App. II, 104.

gerunt, sed morte contempta, aut caedentes aut cadentes in eodem loco manserunt, et profecto aut universi in acie cecidissent, aut nox incerta victoria proelium diremisset, nisi fortuna summum illius temporis imperatorem adiuvasset. Bogud enim, Maurorum rex, qui extra aciem cum suis constiterat, ad Pompeii castra capienda se convertit, quo animadverso Labienus, ordine deserto, adversus eum contendit¹. Quod videntes Pompeiani, fugere eum rati, animis ceciderunt; neque, quamvis postea eius consilium cognovissent, tamen recipere se amplius valuerunt, sed partim in oppidum, partim in castra fuga se proripuerunt. Numerus caesorum, licet Plutarchus Belli Hispaniensis scriptoris auctoritati non diffiderit, num verus sit, merito dubitatur². Utut est, ingens fuit, et tanta, ut Caesariani, ne quis noctu evaderet, urbem circumvallantes, ex ipsis cadaveribus aggerem comportarent³. Labienus et Varus quoque in caesorum erant numero. Ipse Caesar revertens a pugna dixit amicis, saepe se pro victoria, nunc vero pro vita primum dimicasse⁴. Castra etiam capta sunt; sed non prius, quam par hostium numerus occubuerat.

Huic autem proelio non interfuit Sextus Pompeius, sed ut supra dictum est, Cordubam praesidio tenebat⁵. Ibi Valerius⁶ adolescens, cum paucis equi-

1) Dio, qui copiosus est in hac pugna describenda, addit primo statim conflictu sociorum auxilia ex utraque parte terga dedisse, ita ut solae Romanorum acies cominus congressae fuerint. 2) Il. cc. XXX millia peditum et III millia equitum. Victores mille caesi et D vulnerati.

3) Dio XLIII, 37; 38. App. II, 104. B. Hisp. 32. Flor. I. l.

4) Plut. Caes. 56. 5) Interfuisse eum proelio tradidit (A. Vict.) de Vir. ill. 84 in. Confudit fratres inter se Oros. VI, 16. cf. supra pag. 29.

6) Videtur M. Valerius Messala Corvinus. Orell. On. Tall. s. v.

tibus elapsus, rem gestam ei retulit, quibus cognitis, pecunia, quantam secum haberet, equitibus distributa, oppidanis dixit, se de pace ad Caesarem proficisci, et secunda vigilia ab urbe discessit¹.

Cnaeus autem de clade elapsus, gravi vulnere humero saucius, cum paucis equitibus nonnullisque peditibus contendit Carteiam, navale suum praesidium, spe utendi classe, quae ibi in statione erat². Quo lectica delatus, quum civium pars Caesari favens eum huic tradendum esse censerent, et de eo iam legatos misissent, a Carteiensibus suarum partium fautoribus exceptus est; sed rixa de eo coorta, navibus viginti³ occupatis profugit, sed properans in navem, quum implicuisset pedem funiculo, accidit, ut is, qui funem praecidere vellet, sinistro etiam crure eum vulneraret⁴. Cuius fugae nuntio accepto Didius, qui Gadibus classi praeerat, confestim sequi coepit et quarto die eum assequitur, dum ad terram appulerat, aquandi gratia, quoniam prae festinatione sine aqua profecti fuerant. Has igitur aggressus, naves alias incendit, alias cepit; Pompeius cum paucis effugit. Interim peditatus et equitatus, qui, duce Caesennio Lentone⁵ ad eum persequendum missi, dies noctesque iter fecerant, tandem eum cum Lusitanis, imperatorem suum lectica ferentibus, quum insuper et alterum sibi talum intorsisset, circa Lauronem oppidum⁶ assecuti sunt. Quo-

1) B. Hisp. 32. Dio. I. I. XLV. 10. Cic. ad Att. XII, 37.

2) B. Hisp. et Cic. II. II. Strabo III, 141.

3) Sic auct. B. Hisp.; Dio et App. uno tantum navigio eum effugisse referunt. 4) App. II, 105. Flor. IV, 2, § 86. 5) Dio XLII, 40. *Coesonius*. ap. Flor. I. I. *Caesonius* ap. Orof. VI, 16. Ad illum alludit Cic. Phil. XII, 9. 6) Flor. I. I.

circa Pompeius locum quendam excelsum natura munitum occupavit, unde, postquam strenue se defenderat, fuga se proripiens intorto talo valde impeditus, in convalle et cavo loco, ut in spelunca se occultavit. Ubi quum a Caesarianis facile inveniri non posset, tandem captivorum indicio proditus, annum fere agens tricesimum quintum interfectus est. Eius caput prid. Id. Apr. anni U. c. 709 Hispali expositum et deinde sepultum est¹.

Caesar autem, legato Q. Fabio Maximo ad Mundam relicto, Cordubam petiit, quo non diu post Sexti discessum a proelio profugus advenerat Scapula cum legionum reliquarum parte, quae imprimis e fugitivis constabat; qui, quum Caesar ad urbem castra posuisset, desperatis rebus, mortem sibi conscivit. Legiones animadvertentes, ex urbe missos esse legatos, qui a Caesare subsidium peterent, una cum servis, quos manumiserat Sextus, urbem incendere coeperunt; qua quidem re Caesar facilius urbe potitus est². Hispalin, legatos quoque mittentem, C. Caninium Rebilum cum praesidio intro misit, quod tamen noctu rursus partim necatum, partim eiectum est. Quo profectus Caesar, remissiore aliquanto obsidione instituta, cives, ut in flumine Baeti Caesaris naves incenderent, erumpentes, ingenti multitudine occidit, et ita oppidum recuperavit³. Asta, Gades, Carteia aliaque

1) Vd. imprimis narratio, quam de his rebus exhibet bell. Hisp. auctor; cf. supra pag. 3; eff. etiam App. II, 103 sqq. Dio, Flor., Strabo, Zonar., II. II., Plut. Caes. 56. Cic. Phil. XII, 9. Vell. II, 55. Oros. I. I. Eutrop. VI, 24 (19); (A. Vict.) de Vir. ill. 84. cf. Drum. III, 639.

2) B. Hisp. 34. App. I. I. Dio XLIII, 39.

3) B. Hisp. 35; 36. Dio I, c. cf. Cic. ad Att. XII, 37.

oppida sponte deditionem fecerunt ¹. Mundenses vero acriter restiterunt. Sed tandem et hac urbe occupata et Ursaone post difficilem obsessionem recepta ², Caesar, exercitu non magno in Baetica relicto ³, Romam rediit ⁴. Romae autem victoriae nuntius multis non magnam adeo laetitiam attulit ⁵, qui utrum Caesaris an Pompeii interitum optarent, ipsi nesciebant ⁶, et quemvis victorem timebant ⁷. Neque etiam triumphus, quem eodem anno nomine Hispaniae habuit, (de civibus enim triumphare nefas erat ⁸), omnibus fuit gratus; summi enim Pompeii liberis et familia oppressis, triste habebatur patriae exsultare calamitatibus ⁹.

1) B. Hisp. 36. 2) B. Hisp. 41. cf. 28. Strabo l. l.: *Urson*. Plin. III, 3, (1). App. et Hisp. 16: *Orson*. 3) Dio XLV, 40. 4) Haud quidem ante Prid. Calend. Mai., ut cognoscitur e literis, quas eo die ad Ciceronem consolatorias ob Tulliolae mortem Hispali misit. Ep. ad Att. XIII, 20. 5) Cic. ad Att. XII, 37. 6) Cic. ad fam. IV, 14 § 1. 7) Ibid. VI, 3; IV, 21; cf. 20; XV, 19. 8) Luc. I, 12. Cic. Phil. XIV, 13. Val. Max. II, 8. § 7. App. II, 101. Flor. IV, 2 § 89. 9) Plut. Caes. 56. Dio XLIII, 42. Liv. Ep. l. 116. Suet. Caes. 37. Vell. II, 56.

CAPUT III.

A PUGNA MUNDENSI AD FOEDUS MISENICUM.

AB ANNO U. C. 709 AD ANNUM 715.

Sextus igitur, postquam mense Martio anni U. c. 709 noctu Corduba exierat, latitans et fugitans cum paucis, qui cladem evaserant, trans Iberum in Lacetanis¹, gente Pyrenaeis montibus vicina, persequentes latuit, et deinde per aliquod tempus circa Oceanum vagatus, ignotus latrocinia exercuit. Deinde, quum Caesar in Italiam revertisset, exercitu in Baetica non magno relicto, plures et Lacetani quoque ad illum et ad latrocinii societatem se adiunxerunt². Iam igitur validam manum habens, postquam Pompeium cum esse apparuerat, in Baeticam, quam regionem sibi ad bellandum commodissimam iudicabat, regressus est. Erat enim illa regio

¹) Dio XLV, 10. Plin. III, 4, (3). Strabo, III, 161: *Ἰαζυγαυοί*, iidem, Flor. l. l. in Celtiberiam, quae eadem est regio. cf. Mannert Geogr. d. Gr. u. Röm. I. p. 385. Petr. de Marca, Hispan. III.

²) Dio l. l. App. II, 105. IV, 83. V, 143. Strabo l. c. et 141. Plut. Caes. 56. Zonar. X, 10. Cic. ad Att. XII, 37 § 5. Liv. 115. Flor. IV, 2 § 87; 8 § 2

etiā nunc Pompeianis valde favens et ad bellum quam maxime accommodata non solum propter montuosam et asperam, sed etiam propter fertilissimam eius naturam, et urbium magnarum atque locupletium abundantiam¹. Moxque quotquot antea patris et fratris milites tunc vagabantur, ad eum tanquam ad proprium ducem confluxerunt. Arabio quoque ad eum venit, Masinissae Numidiae regis filius, ditione paterna exutus, qui Afrorum subinde auxilia submisit, et postea cum his exercitioribus factis, Caesare mortuo, in Africam traiectus, Sittium et Bocchum, hunc insidiis, illum nece e regno suo rursus expulit². Quam sic viribus auctus, maiorem quam pro latrocinio rem gereret, et per totam fere Hispaniam Pompeii nomen celebraretur, quam magna celeritate percurrit, huc illuc volitans, sed carens a congressu cum copiis a Caesare missis, Caesar, de his edoctus, ad eum debellandum misit cum in iore exercitu C. Carrinatem; quem Pompeius, quoniam expeditioribus copiis instructus erat, subito saepe impetum faciendo, protinusque avolando, fatigavit³. Sequenti anno 710, successorem Carrinati C. Asinium Pollionem propraetorem misit; Hispania autem citerior eum finitima Gallia Narbonensi Lepido mandata est, qui tamen Romae mansit⁴. Dum eodem tenore continuatur bellum, Iulius Caesar Idibus Martiis interficitur⁵. Undique tum ad eum concurrentibus⁶, tanto facilius Carteiam, aliasque urbes aut vi aut ditione recepit. Pompeius deinde Carthaginem Novam

1) Strabo lib. III in. 2) App. 83 et IV, 54. 3) App. IV, 83; V. 143. Dio I. I. 4) App. Dio II, II. Cic. ad fam. X, 31; ad Att. XV, 20; XVI, 4. 5) App. I. I. Dio I. I. 6) App. Dio II, II. Cic. ad Att. XVI, 4; ad fam. XI, 1.

tentare coepit, et obsessam cepit¹. Huius igitur absentiam speculatus Asinius Pollio quum loca quaedam infestaret, reversus valida cum manu Sextus et proelio congressus, Pollionem in fugam convertit, reliquos autem fortiter repugnantes casu quodam terruit et vicit. Pollio enim, quo facilius in fuga lateret, paludamentum abiecerat; alius vero quidam inter equites insignis, cognomine Pollio, ceciderat. Ita quum alterius paludamentum in hostium potestatem venisset, alter occubuisset, militesque illud vidissent, hoc audivissent, ducem suum caesum credentes, cesserunt, Sextus, sic victoria potitus, fere totam eam regionem obtinuit cum Hispaniae Terraconensis parte². Nec contra tantum adversarium, ab ipsis incolis adiutum, Pollioni satis erat virium; semper igitur illum evitavit, neque adeo *clarissimum bellum gessit*³.

Post hanc victoriam primum Imperatorem se nuncupasse Sex. Pompeium, verissima videtur opinio; etsi enim nullum apud scriptores huius rei indicium reperitur, numi, quos in Hispania et in Sicilia cudendos curavit, hoc confirmant⁴.

Romae quamquam civile bellum fastidirent optimates, non tamen sine gaudio Antonio et Octaviano ho-

1) Dio l. l. Cio. ad Att. l. l. 2) Dio et App. ll. ll. 3) Ut Vell. ait, II, 73 § 2; cf. 63 et 128. cf. Clar. Thorbecke diss. de G. Asinio Pollione pag. 11. sqq. 4) Numi enim inscripti SAL, (vid. tab. ad fin. diss. n. 1 et 2), quos Vaillant n. 20 et 21 et Eckhel VI, p. 27 *Salaciam*, deam Maris, Neptuni sponsam, spectare putaverunt, *Saldubae* in Baetica cusi videntur (vd. Jobert, science des méd. II, 165. Visconti, Iconogr. Rom. I, p. 1, 164). Etenim qui inter eius numos inveniuntur vocibus notati IMP, IIER. postea in Sicilia ab eo, rebus feliciter gestis, eosos esse fidem faciunt scriptores, cf. diss. cap. IV. vd. Drumann. IV. 592.

stem ab occidente imminere videbant. Ciceronis verba exemplo esse possunt, quomodo de Sexto eiusque rebus Romae cogitatum sit; ut enim Cicero, sic multi illis temporibus opinabantur. Aequo animo primum de Sexti rebus post Caesaris mortem loquitur ¹. Veretur tamen quo evadat², et sensim, quo magis ne bellum Italiae ille minetur metuit, eo maior fit cupiditas de eo sciendi³; tandem, quo propius bellum civile affuturum providet, quo modo sibi consulat, quoque se vertat, ad Sextum, an ad Brutum, quidque faciendum sit, ignorat; quum non amplius in Urbe manere liceret, quoniam Caesaris morte aperte laetati fuerant omnes. Etiam si ergo rem odiosam et alienam praesertim suae aetati appellet, qua millies mori praestaret, extremum illud restat, ut in castra Sexti aut, si forte, Bruti se conferat ⁴. Postquam autem Cartiae Pompeium receptum esse audivit, ne contra hunc exercitum paret Antonius, metuit, et sic medium esse non sinat ⁵. Tunc rursus ne Sextus in Italiam traiciat; Roma abire, nullo pacto eum expectare vult ⁶. Neque tamen Sextum scutum abiicere ⁷, sed ut se invicem pessumdarent volebat, imprimis, quum Brutus et caeteri reipublicae defensores mente dubia nimisque remissi essent ⁸. Hinc, quum audivisset, Pompeium haud in armis mansurum, ut fama erat, sine bello civili serviendum sibi fore Attico suo scripsit ⁹. Initio mensis Iulii Libo, Pompeii gener, accepit lite-

1) Ad Att. XIV, 1; (VI. Id. Apr. a. 710.) 2) Ibid. 4. (duobus, 3, v. 4 diebus post.) 3) Ibid. 8. (intra XVII et X Kal. Mai.) 4) Ibid. 13. (VI Kal. Mai.) 5) Ibid. XV, 20. (mense Iunio, intra XVII et XI Kal. Quint.) 6) Ibid. 21; 22. (paucis diebus post.) 7) Ibid. 29. (III Non. Quint.) 8) Ad fam. XI, 1 (mense Apr.) 9) XVI, 1. (VIII Id. Quint.)

ras ad Consules Antonium et Dolabellam, quarum exemplum Ciceroni legit, si quid addendum vel commutandum videretur; quae satis graviter et non contumaciter erant scriptae. Tabellarii nuntiaverant, Sextum cum una solum legione fuisse Carthagine, eique eo ipso die, quo oppidum quoddam ¹ cepisset, nuntiatum fuisse de Caesaris morte, et deinde, capto oppido, ad sex legiones, quas in ulteriore Hispania reliquisset, revertisse. Ad ipsum autem Libonem scripserat, nihil esse, nisi ad suum larem redire liceret, et in bona paterna restitueretur. Summa postulatorum erat, ut omnes exercitus dimitterentur, qui ubique essent ².

Neque enim revera summum imperium affectabat; bellum fuit illi necessitas et unica via, qua reciperetur in Urbem et bona paterna adiret, quorum maximam partem ut vidimus, imaginaria illa emtione emerat M. Antonius. Qui, ut impediret, quominus Senatus vel Octavianus se cum eo coniungeret, ad Senatum retulit, ut Lepidus, ipsius amicus et propinquus, mitteretur, qui Sextum Magni omnibus desiderati filium ad pacem adduceret; quod quidem salvis Caesaris actis fieri potuit; hic enim extremo tempore cunctis, quibus nondum ignovisset, sine exceptione pristina iura reddiderat, ita ut non novum, sed vetus beneficium datum esse videretur ³. Neque id huic fuit difficile negotium; ille enim a pace non abhorrebat; his autem conditionibus se ab armis discessurum

¹) *Boream* prava lectione; *Digerram* suspicatus est Schütz., *Eboram* Turnebus. ²) Ad Att. XVI, 4. Hanc scripsit Cic. VI Id. Quint. anni 710. Phil. II, 30. ³) App. IV, 12, 36. Vell. II, 73. Dio XLV, 10. Cic. Phil. V, 14; 15; XIII, 4; 5; Sue. Caes. 75.

esse promisit, nempe ut in Italiam incolumis redire posset, sibi que restituerentur bona paterna¹. Patres, mirantes Antonii sententiam, libenter comprobaverunt omnia, et eodem referente, Lepido ob res rite peractas supplicationem edixerunt².

Revocatus igitur a Senatu, Hispaniam cum classe et exercitu relinquens, Romam non rediit, sed decessit

1) Cic. Phil. XIII, 5, § 11: „atque illud *septiesmi lites* (f68,950,000), quod adolescenti, P. C. spondidistis, ita describetur, ut videatur a vobis Cn. Pompeii filius in patrimonio collocatus.” De quo loco Manutii potior mihi videtur sententia, explicantis: „non spondidistis illud septies millies adolescenti”; sed: „quod vos esse facturos adolescenti spondidistis.” itaque agi hic de summa deposita a Iulio Caesare paullo ante mortem ad Opis, i. e. in aerario publico, (Cic. Phil. II, 14; 37; V, 4; 6; VIII, 9; XII, 5; eff. imprimis Phil. I, 7; VI, 2; VII, 5; Vell. II, 60, § 4; App. III, 18, sqq.; 52; 54; Dio XLV, 24) collecta illa e bonis caesorum in acie Pompeianorum (vd. Phil. III, 1, ibiq. Manut.) quas ingentes pecunias falsis perscriptionibus averserat et dissipaverat Antonius. (vd. Cic. ad Att. et II. modo II.) Neque tamen iocari de hac dissipatione Ciceronem putes necesse est, verum Senatus sponsonem cum ob oculos habere intelligas, ut restituerentur Pompeio suisque ea, quae amisissent, non curans, hae pecuniae dissipatae iam essent, necne; sed ut Senatus promissa persolveret, redderetque Sexto tantam pecuniam, quanta ex bonis patris in aerarium a Iulio Caesare fuerat illata. Hoc tuerentur loca Cic. Phil. XIII, 5, § 10, Dion. XLV, 9; 10; XLVIII, 17; App. III, 57; IV, 94 et Vell. II, 73. Appianus autem, qui II. II. de restituendis tantum bonis paternis loquitur, l. III, c. 4, ait, Sexto promissas esse *μυριάδας Ἀττικῶν δραχμῶν πεντακοσχιλίας*, quae feie respondent totidem denariis, sive *bis millies sestertium* (f 19,700,000); drachma enim denarium, i. e. quatuor sestertios (circiter f 0,40) valet. Qui Appiani numerus, num recte sese haberet, dubitatum est, sive quod nimius videretur, sive quod cum Cicerone non conveniret, sive quod obstare videretur Dionis locus XLVIII, 36, ubi postea Misenico foedere *χιλίας καὶ ἑξακοσίας καὶ πενήκοντα μυριάδας δραχμῶν*, sive septingentes sestertium (f 4,925,000), Sexto promissas esse scribitur. Ut ut est, neutrum unquam solutum fuit.

2) Cic. Phil. III, 9.

Massiliam, ut quid in Urbe fieret, specularetur ¹, quum Antonii mentem suspectam haberet, qui, si vel eum ibi morari sivisset, tamen adversarium metuendum non magni fecisset. Neque magis eum commovit, quod Cicero eum sua nominatione angurem cooperare voluerit, et mense Martio exeunte Senatusconsulto collaudandum esse censuerit, quod suam, eorumque quos secum haberet, operam Senatui populoque Romano pollicitus esset ², ut eo promptius, a Senatu vocatus, ad Mutinam auxilio proficisceretur. Hanc enim ob causam L. Paullus, Q. Thermus et C. Fannius Pompeii conveniendi causa missi sunt Massiliam eumque cognoverunt paratissimo animo, ut eum copiis iret ad Mutinam, nisi Iulii Caesaris veteranos veritus fuisset, Lepidumque et optimates suspectos habuisset. ³

Attamen haec illi ignavia quam maxime nocuit, neque gratiam inde ullam neque dignitatem sibi conciliavit; neque etiam eius vires auctae sunt classis et orae maritimae imperio, quod illi, profligato ad Mutinam a. d. V Cal. Mai. Antonio, S. C. decretum fuit ⁴, ut nimirum civitatem ab Octaviani audacia tueretur. Hic vero adversariorum consilium perspicicens, postquam mense Sextili Consulatum sibi petierat, e lege Pedia ⁵ Sex.

1) App. IV, 84. Dio XLV, 10; XLVIII, 17. Cic. Phil. XIII, 6; cf. 15. 2) Cic. Phil. XIII, 21. 3) Ibid. c. 6. 4) Dio XLVI, 40; 51. XLVII, 12; XLVIII, 17. App. IV. 84; 94; 96. Zonar. X, 15. Vell. 73. Vdd. numi.

5) Quam Cos. Q. Peditus, Caesaris Octaviani collega, immo satelles, tulerat, qua sancitum est, ut omnibus, qui Caesarem interfecissent, aqua ignisque interdicerentur. Vell. II, 69. Dio XLVI, 48; 52. Reis hac lege universis praecanis denunciatione una dies dicta est damnatique, inspectante Caesare, ad unum omnes, absentes plerique, nemine iudicium

Pompeium, licet Caesaris mortis haud dubie insontem, (eo enim tempore, ut vidimus, in Hispania fuerat), cum caeteris percussoribus in ius vocavit, absentem damnavit et proscripsit mense Octobri anni 711 U. c., post triumviratum constitutum ¹.

Sed quum ignoraret ab Octaviano se proscriptum fuisse, et revera caedis particeps non fuisset patris, ab eius filio ut reduceretur fore sperabat. Itaque suas nihilominus retinens naves, a continenti abstinens, insulasque circumvectus, eventum expectabat, victu citra ullius iniuriam sibi parato. Verum quum ab Octaviano ipso se proscriptum esse intellexisset, adiunctis quotquot in diversis portibus invenit navibus, diu sine loci cuiusquam possessione praedatus est in mari, necessitate atque iracundia motus, triremes fabricavit et iuxta litora navigans profugos et obaeratos ad se recepit, praedones maritimos sibi adscivit, patria eiectos suscepit. Itaque parvo tempore viribus acquisitis, mari Italiae vicino politus, inque portus subvectus, naves abripuit et praedas exercuit ². Rebus ita succedentibus, ut iam milites et pecuniam haberet, in Siciliam navigavit et exeunte anno 711 U. c. Mylas et Tynda-

absolvente quemquam, uno Senatorum excepto, P. Silicio Coronate, qui M. Brutum absolvit palam, cuius rei dissimulata interim ira, mox proscriptione hominis patuit. App. III, 95; IV, 27. Plut. Brut.

¹) Dio XLVII, 12; XLVIII, 17. App. IV, 96. Zonar. X, 16; 17; 21. Oros. VI, 18. ²) Dio XLVIII, 19. App. IV, 84. Liv. 123 (de quo loco vd. supra pag. 5.). Vell. II, 73. Zonar. X, 17. Lucan. VI, 421. Flor. IV, 8. Oros. 1. 1. Strabo V, 243: 'Εν δὲ τῷ κόλπῳ τοῦ τῶ (Cumano) καὶ ἕλη τίς ἐστι θαμνώδης; ἐπὶ πολλοὺς ἐκνευομένην σταδίου ἀνδρὸς καὶ ἀμώδης, ἣν Γαλλιναρίαν ἕλην καλοῦσιν. Ἐνταῦθα τὰ λεηστῆρια ἀνεσεύραντο οἱ Πομπηίων Σέξτου καὶ τῶχοι, καθ' ὃν καιρὸν Σικελίαν ἀπέστησεν ἐκεῖνος.

ridem¹, duas in septentrionali Siciliae parte urbes, sine vi cepit, et Pompeium Bithynicum, quem Caesar paullo ante mortem pro praetore in Sicilia constituerat, Messanae obsedit, sed repulsus, incursionibus in agrum eius factis, comteatu eum interclusit, subvenientesque, partim metu eiusdem incommodi adductos, partim per insidias damno affectos, sibi adiunxit. Tandem ipsum eius quaestorem cum pecuniis interceptit. Quo factum est, ut, quum ad Bithynicum venissent C. Luceius Hirrus² et Fannius³, qui recens proscripti in Siciliam profugerant, his persuadentibus cesserit Pompeio, ea conditione, ut insulam cum Sexto aequato imperio regeret. Hic Messenensibus arma et pecuniam ademit, Syracusas deinceps aliasque urbes subegit et milites ex iis plures classemque validissimam collegit. Q. Cornificius quoque, qui propraetor Africam Veterem regebat et Triumvirorum divisione non contentus, Sestio provinciam nomine Octaviani poscenti tradere volebat, in Siciliam, Africae propugnaculi instar, copias aliquot misit. Magnum insuper incrementum attulerunt urbes Italiae illae, quae militibus in victoriae praemium fuerant promissae⁴.

1) Nobilissimam civitatem hanc appellavit Cic. Verr. act. sec. III, 43; Strabo vero πόλισμα et πολίχρον; 266, 272. Cluver. Sic. ant. II. p. m. 298.

2) Hic ante pugnam Pharsalicam a Pompeio et optimatibus ad Parthos ad opem petendam missus, sed ab Orode in carcerem coniectus, ante Magni Pompeii cladem nondum redux fuerat. Postea, venia a Iulio Caesare accepta, Romam rediit, sed nunc rursus ab Octaviano proscriptus fuerat. vd. Drum. III, 479 ibique scriptt. II. et Onom. Orell. s. v. Apud App. IV, 84 scribitur *Hirtius* et ap. Varr. et Plin. *Hirrus*.

3) Videtur idem, quem cum aliis legatum ad S. Pompeium missum fuisse vidimus pag. 59. cf. Orell. Gn. s. v. 4) App. IV, 84; 85. Dio XLVIII, 17. cf. XLVII, 12. Liv. 123. Vell. II, 72; 73. Flor. IV, 8 in.

Civibus autem proscriptis una cum eorum mancipiis periculum effugientibus multum profuit. Quippe cum triremibus Italiae oram legens, Romam et ad alias civitates misit, qui non solum duplum eius mercedis, quae erat occisoribus proposita ei, qui aliquem proscriptorum incolumem asservasset, suo nomine pollicerentur, sed lembos quoque et onerarias naves obviam misit navigantibus, attollentes signa errantibus, et servantes, quotquot nancisci poterant. Hospitio eos et pecunia, idoneos quoque praefecturis tam pedestribus quam navalibus ornavit. Sic ille duris temporibus optime de patria meritis paternam laudem non minori sua cumulavit¹. Quocirca ob cives a se servatos corona quercea, qua numos suos ornavit, dignum se iudicavit².

Octavianus augescentes Pompeii vires aliquamdiu non magnopere curasse videtur, vel quod parvi hominem duceret et instantibus negotiis districtus esset, vel quod satis magnam classem paratam non haberet, qua felici successu eum aggrederetur, et, quem bello se subiecturum desperabat, aliis artibus se victurum non dubitaret. Sed quum frumenti commeatusque inopia multi fame in Urbe perirent, et Italiam quoque Sextus attentaret, et interim Brutus et Cassius in oriente vires colligerent, Siciliam adoriri ei necesse fuit. Classe igitur parata, anno 712 U. c., Q. Salvidienum Rufum Rhegium praemisit; ipse per Italiam iter fecit, ut Salvidieno ad Rhegium occurreret eo consilio, ut copias trans fretum traiceret, quia pedestri certamine facilius eum

¹) App. IV, 36 sqq.; V, 143, et II. II. Dio, Oros., Strabo, Zonar. II. cc. ²) *Id.* numi.

superaturum arbitrabatur. Salvidienus quidem Pompeium ab Italia reiecit, et coëgit, ut in Siciliam regrederetur. Quum autem pluribus navigiis opus esset, naviculas e boum pellibus facere instituit, sed risui habitus, et periculum, si transfretare naviculis istis conaretur, veritus, iis omissis, classe, quae iam instructa advenerat, traicere aggressus est. Sed illi Pompeius in ipso freti aditu magna cum classe obvius est factus, atque prope Scyllaeum promontorium commissum est proelium, in quo Pompeianae naves, leviores, melioribusque nautis instructae, celeritate et peritia praestiterunt; Romanae autem, quippe graviores et maiores, ipsa sua mole laborarunt. Quo postquam accessit solita illius freti motio, undarum accessu et recessu, Pompeiani mari adsueti minus laboraverunt; adversarii vero ob rei insolentiam, neque firmiter vestigiis insistere, neque remos attollere, neque clavos moderari satis potuerunt. Itaque consternati sunt et sub solis occasum prior Salvidienus signum receptui dedit, quo facto Pompeius suos quoque reduxit. Par utrimque navium numerus interierat. Reliquas laceras et pessime affectas Salvidienus reficiendas in portum, qui ante fretum est, coëgit¹.

Ipsius Octaviani sub oculis hoc proelium factum est, aegre quidem ferentis, se primo hoc congressu vinci.

1) Ad *Scyllaeum* factum fuisse proelium solus Appianus 1Y, 85 testatur, et Salvidienum fugisse in portum Balarum, qui ante fretum est. Portus hic nemini praeter Appianum est memoratus. Quaerendum, ait Cluverius Ital. antiq. p. m. 1295, an idem sit portus, qui Abala apud eundem vocatur bell. V. cap. 112. Candidus App. locum interpretatur ad portum, qui Balearico mari imminet. Cf. V, 143. Dio XLVIII, 18. Liv. 123. Suet. Octav. 16; 66. Oros. 1. 1.

Neque tamen, quamvis plerisque navibus suis salvis, transmissionem posthac vi tentare ausus est, sed saepe clanculum periculo facto, quod utique, si in insulam pervenisset, pedestribus copiis multo superiorem se futurum facile speraret; sed, valida ubique custodia insulam muniente, nihil profecit. Postquam igitur Rheginis et Vibonensibus, quos propter freti vicinitatem maxime sibi timebat, atque conciliandos sibi esse putabat, fidem ipse dederat sanctissimam, fore ut ex earum civitatum numero, quae victoriae praemio destinatae fuissent, eximerentur², in Macedoniam adversus Brutum et Cassium profectus est, Q. Salvidieno classi praefecto relicto³.

Pompeius deinde ut solus insulae imperium sibi retineret, A. Pompeium Bithynicum quasi sibi insidiantem occidit; spectacula qualia victores solent, edidit, captivorum item certamen in freto prope Rhegium, ita ut hostium in conspectu esset, commissis inter se ligneis et scorteis navibus, ad Salvidienum deridendum exhibuit. Hac autem victoria magnopere gloriatus est, fastidiosumque et superbientem adeo se gessit, quasi Neptuni filius esset, quod pater universi quondam maris imperium habuisset⁴. Porro naves plures fabricatus est, quibus in mari circum insulam dominatus est. Verum enim vero e Macedonica expeditione,

1) App. I. 1. Strabo II, 259, scriptum reliquit, Rhegium, eiecto Sicilia Pompeo, civium inopia laborantem, et viris fere exhaustum, ab Augusto condonatum fuisse supplemento e classe. 2) Dio I. 1. 18. App. I. 1.

3) Dio, Liv. II. II. App. V, 70.

4) Sic iam ante annum 714 U. c. se appellasse, intelligitur e loco Dionis XLVIII, 31, qui tunc populum Sexto applausisse, imagine Neptuni in theatrum allata, testis est.

non magis quam nuper e Mutinensi nihil sibi lucratus est, neque rerum novarum cupidos confirmavit et adiuvit, neque invasit Italiam ibive urbes munivit. Et tamen dubitare non poterat, quin futurum esset, ut de se quoque ad Philippos decertaretur. Post Cassii et Bruti interitum exeunte a. U. 712 ingens servorum multitudo ad eum ex Italia venit, et tantus fuit fugitivorum numerus, ut Virgines Vestales, rem sacram facientes, vota conceperint, ut finis aufugien- di esset ¹. Cassius quoque Parmensis aliique multi cum L. Statio Murco se coniunxerant, qui legatus in Ionico mari classis parti praefuerat, et post pugnam Philippicam cum octoginta navibus, duabus legionibus, quingentis sagittariis, magnisque pecuniis ad Sextum transiit et reliquum exercitum e Cephalenia accessivit; cuius tamen praefectus Cn. Domitius Ahenobarbus cum sua manu ad illum non transiit, sed aliquamdiu praedatus in mari, et ab Italia com- meatum prohibens, proximo anno Antonium adiit ². Neque hunc igitur sibi devincire studuit, quamvis pacis Octaviani cum Antonio minime dubium factum esset, eum, nisi victorem, in Urbem nunquam rediturum ³. At segnis sua defendere, quam aliena invadere maluit; redeundi occasiones praetermisit, quum hostem lacessere pergens maiora tentare non auderet. Liberti clas- sibus erant praefecti, perfidus Menodorus sive Menas ⁴,

¹) Dio lib. I. 19. App. V, 2. ²) App. I. I. et 25. Dio I. I. Vell. I. I. et II, 77. ³) Liv. 125. Vell. II, 74. Suet. Oct. 13. App. V, 3. Plut. Ant. 23. Eutrop. VII, 3 (2). ⁴) Drumann. IV, 567. ⁵) Sic App. V, 79. Vell. II, 73. Menam Sexti libertum dixit Dio I. I. *Περσάντην* eum vocat Plutarchus, Ant. 32. *Μηνᾶς* nomen *ἑποικοριστικόν* pro Menodoro, ut Appianus eum semper appellat; sic *Ἀπολλᾶς* pro Apollo-

paternus libertus, Menecrates ¹, Demochares sive Papias et Apollophanes ².

Horum igitur usus consilio, per annum 713 U. c., dissidentibus Octaviano et L. Antonio cum Fulvia, satis habuit una cum Cn. Domitio Ahenobarbo, licet non coniuncti inter se, Urbem fame premere, Italiam vexare et imprimis Bruttiorum agrum populari, quem frustra equitibus suis inde depellere conabatur Octavianus ³. Ulro tamen Sextus illorum discidio multum et existimatione et viribus crevit. Qui enim suae salutis metuebant, aut bonis spoliati fuerant, aut praesentem rerum statum omnino improbabant, ad ipsum accesserunt. Reliqua quoque iuventus, lucri et belli cupida, parum referre existimans, sub quibusnam ducibus, modo Romanis, stipendia facerent, Pompeium sequi maluerunt, cuius causa iustior esse videbatur. Quin et ditatus erat praedis maritimis, navesque habebat multas, sociis navalibus plenissimas ⁴.

Inter nobiles eiectos cives, qui, urbe Perusia mense Aprili a. 714 capta, ad eum confugerunt, fuit imprimis Tiberius Claudius Nero, una cum Livia uxore filioque Tiberio, postea Imperatore, quos tamen Pompeius parum digne accepit, nec statim in conspectum admisit, et fascium usu prohibuit ⁵, quod Tiberius, qui proximo

doro, Ἀρτεμῆς pro Artemidoro, Ἡρῶς pro Herodoro, Ἡρακλῆς pro Heraeodoro, Ἐρμῆς pro Hermodoro, Μητροῦς pro Metrodoro, Θεοδῶς pro Theodoro, et Ζηνῶς pro Zenodoro. Fabric. ad Dion. XLVIII, 30 ibiq. scriptt. II. 1) Perperam Vell. Menecratem quoque *paternum* vocavit libertum; cf. App. V, 81 et Dio XLVIII, 46. cf. supra pag. 16. Illum secutus est Drumann. IV, 568.

2) Sextus libertorum suorum libertus. Vell. I. c. 3) App. V, 19.

4) App. V, 25. 5) Mos enim erat provinciarum rectoribus, ut omni-

anno Praetor fuerat, aegre ferens, non diu in Sicilia moratus est, sed ad M. Antonium in Achaiam traiecit. Pompeia vero Sexti soror, eo tempore apud fratrem degens, Tiberium tum vix bimum muneribus donavit¹. Maiori loco a Sexto habitata est Iulia, Antonii mater, quam, ad filii gratiam, si opus esset in posterum captandam, benigne excepit, eodemque anno Antonio rerum inquirendarum ergo in Italiam traiciendi, honorifice longis navibus Athenas obviam misit, deducendum L. Scribonio Libone, Pompeii socero, et C. Sentio Saturnino aliisque, qui, considerantes Antonii ingenium maioribus rebus gerendis aptum, hunc cum Pompeio in gratiam reducere et socium adversus Octavianum adsciscere cupiebant. Ille vero certis promissis et pactis obligari noluit, cum adversus Parthos legionibus domi indigeret, et bellum cum Octaviano adhuc detrectaret, cum frater eius Lucius captus in Octaviani potestate esset; itaque respondit, se quidem gratiam Pompeio pro remissa matre habere, relaturumque suo tempore; quodsi bellum gerendum esset contra Octavianum, usurum se illius societate; sin vero in pactis conventis maneret hic, daturum se operam, ut Octavianus Pompeio reconciliaretur². Posthac Athenis in Italiam abiit cum Domitio Ahenobarbo, qui eum Imperatorem sibi delegerat.

Octavianus autem, quum rescivisset, Sextum cum Antonio per matrem et legatos de rebus egisse, re-

bus Senatoribus in provinciis degentibus lictores darentur. Cic. ad div. XII, 21. 1) Dio XLVIII, 15, 44. Vell. II, 75; 77, ibique interpp. Suet. Tiber. 4. Chlamys et fibula, item bullae aureae, quibus eum donaverat Pompeia, Suetonii adhuc tempore Baiis ostendebantur; ibid. c. 6.

2) App. V, 52, 63, 122, 134. Dio XLVIII, 15, 16, 44. Plut. Ant. 32.

sponsi tamen ignarus esset, se amplius quadraginta legionum quidem numero eos superare existimavit, verum, quum navem paene nullam haberet, nec tempus ad aedificandas suppeteret, veritus, ne, inter se coniuncti, quingentis instructi navibus, Italiam undique cinctam ad omnia cogerent, ex iis Pompeium, quem tum sibi maxime metuendum existimabat, sibi conciliari et, si opus esset, cum eo pacem componere statuit. Quam ob causam Maecenati scripsit, ut cum Scribonia, Libonis, soceri Pompeii, sorore, de matrimonio transigeret¹. Quibus cognitis Libo suis per litteras e Sicilia mandavit, ut eam sine cunctatione Octaviano collocarent². Hic ergo nullam stabilem cum Antonio societatem initam fuisse, pro certo habere potuit.

Antonius interea cum Ahenobarbo et valida classe navium supra ducentas ad Brundisium appulsus, ab Octaviani cohortibus portis excluditur, qua urbe terra marique obsidione cincta, simul tum per oras Italiae misit, qui opportunissima quaeque loca occuparent, tum imprimis Pompeium adhortatus est, ut Italiam classe invaderet et, quantum posset, infestaret. Quod quidem ille statim, affinitatem parum curans, libenter perfecit, et ipse, absente Agrippa Praetore Urbano,

¹) Maior natu quam Octavianus fuit; etenim nupta fuerat antea duobus consularibus, quorum alterum novimus P. Cornelium Scipionem, e quo filiam Corneliam conceperat. v. Suet. Aug. c. 62. ibique Casaub. cf. Vell. II, 100, cf. Tacit. ann. I, 52. Muciam, Pompeii matrem, eo tempore ab Octaviano ad filium missam esse auctor est Dio c. 16, qua de re cf. sup. pag. 17.

²) App. V, 53. Dio XVIII, 16; 20; 34. Zonar. X, 21. Suet. I. 1. et 69. Tacit. Ana. II, 27. Vell. II, 100. Horat. Sat. I, 5, 27. Propert. IV, 11, 55.

qui ab Octaviano, in Galliam profecto, rei militari praepositus, ludis Apollinaribus exhibendis III Non. Quint. occupatus erat, Thurios¹ in Lucaniae ora obsedit, unde tamen repulsus Consentiam, inferius in terram sitam Bruttii urbem, oppugnavit, equitesque eius agros devastare iussit².

Inter haec Fulvia Antonii uxor moritur, qua discordiarum face exstincta, pax inter Octavianum et Antonium restituitur, et Brundusii iterum imperio Romano inter eos diviso, belli contra Pompeium gerendi societas facta est³.

Sextus de eorum pactione certior factus, ex Italia secessit, et in Siciliam reversus, Menam statim cum classis parte ad hostium regiones invadendas et infestandas dimisit. Hic Etruria multis locis vexata, M. Titium, cuiusdam e proscriptis, tunc apud Sextum degentis, filium, qui suo Marte naves collegerat, et in Gallia Narbonensi stationem habebat, vivum cepit, cui tamen patris gratia et quod Sexti nomen scutis suis inscriptum ferebant milites, venia data est⁴. Sed malam is postea gratiam retulit, ut infra dicemus. Illinc Menas in Sardiniam navigavit⁵, ibique cum quatuor legionibus M. Lurium, cum duabus legionibus insulam tenentem, adortus, primo pulsus est, sed retro adversus hostem, nimis temere insequentem, repente conversus, victoriam recuperavit, quo facto Lurius ex insula

1) Antea *Sylbaris*, postea *Copiae* vocata est haec urbs. 2) App. V, 56, 58, 63. Dio XLVIII, 20. 3) App. V, 64, 65. Dio XLVIII, 28; 29; 30. 4) Dio XLVIII, 30. ibique interpp. 5) Eam antea ab Heleno Octaviani *legato* impetu occupatam, sed nunc a Menodoro recuperatam fuisse, minus recte scripsit App. 66. cf. sup. p. 17.

cessit, quam Menas exin totam occupavit, praeter urbem Caralin¹, in quam plures confugerant, quam tamen obsessam mox etiam cepit. Captivorum nonnullos, in iis Helenum libertum, Octaviano carissimum, sine redemptionis pretio dimisit, quippe Pompeii fortuna non confidens, beneficio hoc multo ante apud Octavianum reponendo, perfugium sibi, si res ita ferret, apud eum praeparare voluit².

Romae his temporibus miserrima erat conditio; ora enim maritima populationibus vexata, omnique comestu prohibita, quum neque ab Oriente negotiatores quicquam subveherent metu Pompeii, neque ex Africa, neque ab Occidente propter Sardiniam et Corsicam, ab eo occupatas, fames populum urebat. His accedebant multa omnis generis vectigalia et tributa iis, qui servos habebant, imposita, quod pecunia deerat ad bellum contra Pompeium gerendum³. Itaque non amplius cives se continuerunt, sed quantum laetitiae acceperant Octaviani et Antonii pacificatione, qua scilicet a bello civili liberatum iri se putaverant, tantum et plus etiam indignationis apud eos propter bellum contra Pompeium est coortum. Itaque primo coitionibus factis, vel ad spectaculum congregati eos ad pacem cum Pompeio componendam multo cum clamore cohortati sunt. Quum nihil efficerent, abalienati ab illis, ad

1) Caralis (hodie Cagliari) urbs Sardiniae praecipua; Aradis, ut in textu Dionis XLVIII, 30 scribitur, in Africa quidem, sed in Sardinia nusquam commemoratur. Fabr. ad Dion. l. l.

2) Dio l. c. et 45. App. V, 56, 66, tempora confudisse et non nimis accurate huius res exposuisse videtur. Flor. IV, 8 in.

3) App. V, 67, Corsicam etiam nominavit, quam una cum toto mari occupasse merito putatur.

Pompeium inclinaverunt, ac cum varios in eius laudem sermones sparserunt, tum mense Septembri ludis Romanis illatum simulacrum Neptuni, cuius filium se dicebat Sextus, magno plausu honoraverunt, eoque magnopere delectati sunt; idque quum per aliquot dies ideo non circumferretur, lapidatione magistratus foro eiecerunt. Mox Octaviani et Antonii statuas deiecerunt, et ne sic quidem quicquam proficientes, exasperati impetum in eos fecerunt; qui tumultus aegre nec sine sanguinis effusione suppressus est ¹.

Libo igitur e Sicilia quasi a familiaribus ab Antonio arcessitur, qui, ad insulam Aenariam appulsus, a plebe tanquam Pompeii legatus de pace destinatur. Interim plebs etiam Muciam, Sexti matrem, M. Aemilio Scauro nuptam, comminata, adegit, ut pacis legationem susciperet. Libo autem, ubi hostis contumaciam remitti sensit, postulavit, ut ad colloquium convenirent cum Pompeio, et ita suo arbitratu rem componerent, quod, flagitante populo, obtinuit ².

Caeteris omnibus pacem Pompeio suadentibus, solus Menas e Sardinia scriptitavit, ut aut fortiter bellum persequeretur, aut cunctaretur aliquamdiu, donec famas, pro ipso pugnans, effecisset, ut pax, si ita videretur, aequioribus conditionibus constitueretur; porro L. Staium Murcum ³, his adversantem, suspectum esse habendum, quasi summi imperii cupidum. Pompeius, qui iam antea Murcum propter dignitatem et consilii constantiam vix tulerat, his etiam magis ab eo alienatus est, ita ut nulla in re amplius eius consilio

1) Dio XLVIII, 31. 2) App. V, 68, 69. Dio XLVIII, 16. cf. tamen supra p. 17. 3) Cf. supra p. 65.

uteretur. Qua re offensus ille Syracusas secessit, et animadvertens, nonnullos custodes a Pompeio missos ipsum sequi, coram iis Pompeium vituperavit. Tum ille corruptos ipsius Murci tribunum et centurionem misit, qui Murcum interficerent, et a suis ipsius servis interfectum esse fingerent. Qui dolus quo magis fidem inveniret, servos in crucem egit. Nec tamen latuit, post A. Pompeium Bithynicum sublatum, alterum hoc Pompeii scelus, patratum in virum laude bellica illustrem, qui et constantissimus ab initio illarum partium amicus fuerat, et de ipso Pompeio in Hispania optime fuerat meritus et nunc ultro ad eum in Siciliam venerat ¹. Hoc mortuo reliquis tamen omnibus ad pacem hortantibus, ut sic, reditu in patriam pacto, Pompeii crudelitatem et perfidiam effugerent, et Menam imperii cupiditatis accusantibus, quasi non studio domini, sed ut ipse exercitui et regioni praeeset, bellum suadentem, Pompeius iis obsecutus in Aenariam, Pithecularum in Campaniae ora insulam ², cum multis selectis navibus traiecit, et ipse hexere ornatissima vectus hostibus inspectantibus superbe sub vesperam Puteolos praeternavigavit ³.

Primo autem mane apud Misenum duobus locis exiguo intervallo palis in mari defixis pontes sunt instrati, in quorum tabulatorum alterum, terrae contiguum, Octavianus et Antonius progressi sunt, Pompeius et

1) App. V, 2; 25; 70. Dio XLVIII, 19. Vell. II, 72; 77.

2) Hod. *Ischia*. Misenico promontorio proxima. cf. de ea Cluver. It. ant. IV, p. 1164. 3) Non cum tota classe, ut Dio XLVIII, 36. Menas enim cum parte in Sardiniam aventus fuerat. *ibid.* c. 30, 31. App. V, 66.

Libo in alterum, quod paullo magis in mare excur-
rebat, modica distantia ab altero tabulato diremtum,
ut sine clamore voces exaudiri possent. Sed quoniam
Pompeius eo se advenisse putabat, ut in imperii socie-
tatem Lepidi loco admitteretur; alteri vero, ut non aliud
quam reditum in patriam concederent, tunc quidem re
infecta discesserunt ¹.

Neque tamen intermiserunt agere per internuntios
amicos, varias condiciones ferentes ultro citroque. Pom-
peius postulabat, ut e proscriptis, qui apud eum
versabantur, coniurationis contra Iulium Caesarem so-
ciii concederetur securum exsilium; reliquis vero ho-
noratus in patriam reditus, et omnium bonorum resti-
tutio. Fame et plebe ad pacem componendam urgentibus
aegre tandem concessum est, ut quarta pars bonorum
restitueretur, quam a novis possessoribus reciperent; qua
de re ad ipsos proscriptos literas miserunt, rati, eos
contentos fore. Hi autem omnia approbantes, quum
et Pompeium iam propter scelus in Murcum perpetra-
tum timerent, Pompeiumque adeuntes precati sunt, ut
pacem componeret. Sed ille, tum vestem discindens,
prodi se questus est etiam ab his, quorum hacten-
us propugnator fuisset; crebroque Menam nomine in-
vocavit, ut imperatoriae artis imprimis narum, et
solum in benevolentia constantem. Tandem urgentibus
eum Mucia matre et Scribonia uxore ², rursus tres illi
convenerunt in aggerem, quem ab utraque parte mare

¹) App. V, 71.

²) Illam *Iuliam* perpetam vocavit, App. V, 72, quem errorem praeteriit Fabric. ad Dion. XLVIII, 36. Haec fuit L. Scribonii Libonis, Cos. a. U. c. 720, filia. Ante annum U. c. 714. Sex. Pompeio nupta fuit ex eoque unicam filiam habuit. Quum in fuga e Sicilia filiam solam pa-

adluebat prope Puteolos. Aderant autem Octaviano et Antonio a continenti omnes copiae, Pompeio naves praesidiariae in statione collocatae, ita ut utrisque armati adstarent, alteris in terra, alteri in navibus, ut vel ex hoc omnibus perspicuum esset, alteros quidem a populo, alterum ab iis, quas secum habebat, coactos, et se invicem metuentes, pacem componere¹.

Eius igitur pacis hae fuerunt conditiones: ut ab armis cessaretur terra marique, et negotiationes nusquam impedirentur; Pompeius ex omnibus Italiae locis praesidia deduceret, neque amplius servos fugitivos reciperet, neve ipsius naves Italiae litori insidiarentur. Siciliae, Sardiniae, Corsicae caeterarumque, quas eo tempore haberet, insularum imperium retineret, in tantum temporis, in quantum Antonio et Octaviano suarum provinciarum imperium prorogatum fuisset, sed mitteret populo Romano frumentum, iamdudum insulis illis imperatum². Praeter has Pompeius acciperet Achaiam³, absens Consulatum gereret, per quemcumque amicorum voluisset; Augur crearetur⁴, et e paternis facultatibus ei redderetur septingenties sestertium⁵. Exsulibus pateret reditus, exceptis iis, qui ut

trem comitatam fuisse, non vero de uxore mentionem faciat Dio, ante illum annum 718 U. c. mortua esse videtur. vd. Drumann. IV, 591.

1) App. V, 72. Dio XLVIII, 36. Plut. Ant. 32. Zonar. X, 22. Liv. 127. Vell. II, 77. Tacit. Ann. V, 1. Oros. VI, 18.

2) Siculi e lege Hieronica (Hieronis II,) a Romanis conservata, farris, tritici, hordei decumas ipsas quotannis Praetori Romano exhibere, ac Syracusas, vel quem in locum is iussisset, deportare debebant. Orell. excurs. ad act. II in Verr. I. III, ed. I, p. 272. cf. praeter hunc excursum Baiteri ind. legum, lege Hieronica frumentaria. 3) Apud Appianum minus distincte *Peloponnesus* vocatur. 4) Secundum App. *Pontifex*. Minus recte; vd. supra pag. 18. 5) Ut Dio solus auctor est.

interfectores C. Caesaris publico iudicio fuissent damnati, bonaque immobilia ex asse iis, qui ob metum solum profugissent et sua per vim amisissent; proscriptis vero e quadrante restituerentur. Denique servis, qui sub Pompeio militassent, libertas esset praemio; ingenuis autem, post peracta stipendia, eadem praemia persolverentur, quae Octaviani et Antonii veteranis.

Has autem pacis leges conscriptas et obsignatas apud Virgines Vestales asservandas deposuerunt¹. Postquam igitur dextras mutuo dederant, seque invicem osculati erant, multi non solum milites, sed etiam cives, qui, bellum maximopere exosi, vehementer pacem expetebant, una repente maximum clamorem ediderunt, ut sonitum montes redderent, horrorque et ingens consternatio in iis oriretur, quo ipso multi statim exanimati sunt, multi autem conculcati et suffocati perierunt. Nam qui in navibus erant, non exspectantes, donec ad terram naves appellerent, in mare prosiluerunt; vicissimque alteri a terra in mare decurrerunt, ubi natantes simul sese mutuo salutabant et amplectebantur, eratque ea res visu et auditu varia. Nam alii, suos cognatos aut amicos superstites adesse videntes, inexplebili gaudio perfundebantur, alii, quos periisse dudum existimaverant, praeter opinionem salvos cernentes, in dubio diu erant et voce interclusa, oculis fidem non habentes, idque maxime optantes, ne fallerentur, non prius suos agnoscebant, quam eos nominatim vo-

XLVIII, 36. vd. supra pag. 58. 1) App. V, 72, 73. Dio XLVIII, 37. Zonar. 1.1. Sequentem Dionis Cassii enarrationem, quamvis pro historico nimio cum poetico colore relatum, integram hic apponere placuit.

cassent, et vocem eorum audivissent. Adeo autem laetabantur, quasi reviviscerent, et prae laetitia a lacrimis se abstinere non poterant. Contra alii, qui de eorum, quos carissimos habuerant, interitu non cognoverant, eosque in vivis etiam nunc exstare et ibi adesse putarant, circumibant quaerentes et quemlibet obvium de iis percunctantes; quamdiu certi nihil cognovissent, mente captorum similes, anxii, inventuros se ipsos sperantes, et mortuos esse verentes, desistere prae cupiditate, animum despondere spe non poterant. Sed ubi verum comperissent, crines evellere, vestem lacerare, nomine eos invocare, perinde ac si exaudire illi possent, et quasi tum demum mortuos eoque in loco iacentes, complorare coeperunt. Quodsi cui nihil huiusmodi accidisset, tamen aliorum casibus perturbabatur et vel cum laetanti laetabatur, vel cum lugenti lugebat, et ita etiamsi familiaris doloris causam non haberet, tamen, quod inter caeteros versaretur, non moveri non poterat. Satietae nec pudore, quippe inter sui similes versantes, afficiebantur, et sic dies ille totus et noctis maior pars ab iis exacta est.

Hoc igitur salutare patriae attulit Sextus, quod cum tot alios proscriptos, tum nobilissimos viros, M. Silanum, C. Sentium Saturninum², L. Aruntium et M. Titium restituerit reipublicae. Tiberium autem Claudium Neronem, quem Velleius et Tacitus quoque horum annumerat numero, anno iam U. c. 714 cum Antonio in Italiam rediisse supra dixi³.

1) Dio XLVIII, 37. 2) Cf. supra pag. 8.
3) Supra pag. 7. Vell. II, 92. Tac. Ann. V, 1. v. d. Freinsh. Suppl. Liv. cxxvii, 42.

Post haec conviviis sese mutuo cum alii, tum ipsi principes exceperunt, ordine, quo id a quoque fieret, sorte constituto. Prior Pompeius hexere ad aggerem appulsa excepit hospites „in Carinis” ut Antonio scitissime respondit roganti, ubinam coenaturi essent, ludens ambiguitate verborum; nam domum paternam in Carinis, celebri Urbis loco, tenebat Antonius¹. Nihil tamen praeterea egit, quo se memorem acceptarum iniuriarum ostenderet, sed comiter eos excepit. Etenim medio convivio, quum varius sermo esset, et maxime dicta in Cleopatram et Antonium iacerentur, Menas adiisse Pompeium dicitur, rogans, ita ut alii non audirent, num vellet, ancoris navis discissis, et adversarios dolo aggressus, omnium nece non solum illatam patri et fratri iniuriam ulcisci, sed etiam totius Romani imperii dominum eum efficere; se enim, cum navibus in proximo versantem, curaturum, ut nemo evaderet. Cui Pompeius responderit: Menam id facere neque ipsi praenuntiare oportuisse, nunc quidem se rebus praesentibus acquiescere; periurium Menae, non Pompeio convenire².

Verum, quum antea Menam Sardiniam occupasse, neque inde reversum fuisse, sed e contrario postea ad rationes reddendas a Pompeio inde evocatum fuisse diserte apud scriptores legamus, atque nequaquam temere, sed armati ipsi, armatisque cingentibus ad coenam venerint, meram hanc esse fabulam, merito statuitur³.

1) Vell. II, 77. Dio XLVIII, 38. Plut. Ant. 32. (A. Vict.) de Vir. ill. 84. 2) App. V, 73. Dio, Plut. Zonar. II. II.

3) Drum. I, 431. cf. App. V, 66, 78. Dio XLVIII, 45.

Sequentibus diebus Antonius et Octavianus eum hospitio exceperunt, fixis in eodem aggere tentoriis, quod quidem faciebant hoc praetextu, ut omnibus in litore epulum praeberetur, sed fortasse mutuae magis securitatis causa, et ad suspicionem removendam. Nequaquam enim cura erat remissior, sed et naves iis praesto erant in stationibus, et satellites circa eos stabant, et ipsi convivae sub veste accincti erant pugionibus. Inter coenam Pompeii filia desponsa est M. Marcello, Antonii privigno, sororisque Octaviani filio ¹. Nuptiae tamen secutae non sunt; Pompeia enim anno 718 U. c. cum patre e Sicilia aufugit.

Sequenti die Consules designarunt in quadriennium, ut Appianus ait ²; Dio vero in octo annos id factum fuisse dicit ³, quos allatis rationibus ita in concordiam redegit Drumannus ⁴, ut in quatuor priores annos nullus designatus sit, imo quidem in quatuor posteriores 720—723 U. c. Primi Antonius et Libo Consules creati sunt ⁵, ita tamen, ut illi liceret alium quemvis pro se substituere, post illos Octavianus et Pompeius, tum Ahenobarbus et Sossius ⁶, deinde rursus Octavianus et Antonius, quos ambos, tertium Consules, rempublicam populo Romano reddituros esse sperabant ⁷.

¹) App. V, 73. Dio XLVIII, 38. Zonar. l. l. cf. infra. ²) l. l.

³) XLVIII, 35. ⁴) l. 432, praeunte Freinshem. Liv. Suppl. cxxvii, 41.

⁵) App. l. l. Dio XLVIII, 39. ⁶) Dio L, 2. ⁷) Ibid. 10.

CAPUT IV.

A FOEDERE MISENICO AD S. POMPEII FUGAM E SICILIA.

AB ANNO U. C. 715 AD ANNUM 718.

His peractis, Pompeius in Siciliam, Octavianus et Antonius Romam redierunt. Auditis pacis conditionibus Roma et universa Italia conclamarunt, liberatos se putantes ab intestino bello, et filiorum ad militiam delectu, et praesidiariorum militum superbia et servorum effugio, agrorum vastatione, et agriculturae cessatione, imprimis vero a fame, quae eos maximopere premebat. Ita per Italiam iter facientibus iis, tanquam servatoribus, sacrificia facta sunt. Ipsa quoque Urbs splendide eos exceptura fuisset, nisi, invdiam fugientes, clam noctu Romam ingredi maluissent. Laetitia expertes erant soli illi, quotquot sorte agros possidebant proscriptorum, qui nunc cum Pompeio redirent, utpote putantes, se vicinos implacabiles hostes esse nacturos, qui, quoquo modo possent, ipsis adversarentur.

Exsules autem fere omnes, Pompeio Puteolis salu-

tato, Romam statim navigarunt, unde nova fuit multitudini laetitia, et acclamationes variae, tot illustribus viris ex insperato superstitionibus et patriae redditus¹. His autem reversis, omnes inimicitias atque discordias partiumque factiones cessaturas esse sperabant.

Octavianus deinde in Gallias profectus est. Verumenimvero non tam diu post apparuit, foedus Misenicum brevis temporis solatium Italiae fami et miseriis attulisse. Neutra enim contrahentium pars pactis conditionibus sese adstrictam putavit, quippe qui non sua sponte, aut libentes, sed inviti pacem iniissent. Non mirum ergo, eos nullum fere tempus in ea mansisse, sed statim foedere rupto ad discidium rediisse². Octavianus enim, qui, ut res suas resarciret, et commodis prospiceret, bis iam nuptias contraxerat, eodem vel sequenti anno nuptias cum Scribonia, Pompeii amita, rupisse videtur, ut Liviam, Tiberii Claudii Neronis uxorem, duceret³. Haec familiae mutatio rupti foederis fuit initium, neque tamen ea sola causa fuit. Haud dubie enim etiam sine causis bellum renovassent⁴; quas vero in publicum proferebat Octavianus, hae potissimum fuerunt. Achaiam qui-

1) App. V, 72 sqq. cf. Dio XLVIII, 29. Vell. II, 78. 2) Dio XLVIII, 45.

3) Cum Scribonia divortium fecit, pertaesus, ut scribit in commentariis de vita sua, morum perversitatem eius. (Suet. Oct. 62). Aliam divortii causam notat Suetonius c. 69, quod liberius doluisset nimiam potentiam pellicis. Haec deinde Scribonia cum Iulia filia, quam ex Octaviano habebat, in exilium navigavit in Pandateriam (Santa Maria hod.) insulam. vd. Dio LV, 10. Eodem die illam repudiasset Octavianus, quo primum barbam raserit. Ibid. c. 34.

Livia Drusilla fuit filia Livii Drusii Neronis, qui nuper e Sicilia Romam venerat; uxor, quam sex menses gravidam duxit. Dio ibid. c. 44.

4) Dio XLVIII, 45.

dem ab Antonio Sexto concessam fuisse iis conditionibus, ut eam acciperet, si, quantum Antonio deberent incolae, tantum solveret, aut saltem se soluturum polliceretur; sin id minus placeret, ut eius pecuniae solutionem expectaret; Pompeium vero his conditionibus regionem accipere noluisse, opinatum, eam una cum debita pecunia sibi datam fuisse. Igitur traditam illi non esse, quia Antonio debitum nondum esset solutum. Et haec quidem, ut Octavianus dicebat, aegre ferebat¹. Quin etiam mala fide egit Antonius. Hic enim, ex Italia in Graeciam profectus, ibi permultum temporis degit, partim ut suae cupiditati satisfaceret, partim ut, urbibus vexatis, eo debilior Pompeio traderetur Achaia². Pompeii autem criminatio erat, Octavianum, quae promisisset iis, qui foedere Misenico in possessionum partem restituti essent, haud praestitisse³. Itaque, sive ob hoc ipsum, sive ob perfidiam, sive quod aliis magnas copias habentibus invideret, sive quod Menas eum ad bellum incitaret, inducias magis quam stabile foedus hoc esse dictitans, alias naves, aliudque remigium paravit, et etiam aliquando ad exercitum concionatus est, opus esse, ut ad omnia parati essent. Interea rursus latrocinia occulta mare infestabant, et famis parvum aut nullum remedium Romanis allatum erat, ita ut clamitarent, se recenti pace non finem malorum, verum quartum tyrannidis socium esse nactos. Octavianus autem quosdam piratas captos torsit, qui Pompeium ipsos misisse fassi sunt. Quod ipsum Octavianus pervulgavit, et ipsi quoque Pompeio per lit-

¹) App. V, 77.

²) Dio ibid. c. 39.

³) Ibid. c. 46.

teras significavit. Hic vero, de his quidem se purgare studens, Octavianum vicissim de Achaia sibi non tradita accusavit¹.

— Transfugium et perfidia Menae hoc discidium tandem ad maturitatem perduxit et bellum provocavit. Quotquot enim nobiles adhuc apud Pompeium manserant, videntes, eum semper auscultare libertis, horum nonnullos corruperunt, ut Pompeium in Menam sive sua sponte, sive in gratiam Octaviani irritarent, quasi imperantem ipsi domino. Quod hi, invidentes quippe Menae potentiae, libenter fecerunt eoque facilius, quam Menas iam in Sardinia pro praetore degens in suspicionem Sexto venisset, ob Heleni, carissimi Octaviani liberti, demissionem, et quod cum Octaviano collocutus esset². Is igitur arcessitus a Pompeio sub specie, ut administrationis frumenti et pecuniae rationes redderet, dicto non audiens fuit, sed legatos hac de re missos comprehensos necavit³. Per eosdem dies Philadelphus, Octaviani libertus, ad Menam navigavit, frumentationis gratia, et Micylio, fidissimus Menae amicus, ad Octavianum, de eius transfugio acturus, ita ut Sardiniam et Corsicam cum tribus legionibus et reliqua amicorum multitudine⁴ illi se traditurum polliceretur⁵. Quod promissum

¹) App. l. l. ²) De hoc vero cum Octaviano colloquio nusquam alibi mentio fit; cf. sup. pag. 19.

³) Dio lib. 45. ⁴) Praeclare Schweighäns. apud App. V, 78. pro *φίλων* legendum esse *φίλων πλεθρον* leviter armatorum multitudinem coniecit.

⁵) Sic App. l. l.; Dio l. l. et Zon. X, 23: eum semet ipsum et insulam cum classe et exercitu illi tradidisse; Orosius VI, 18, eum cum sexaginta navibus transfugisse. Suet. Aug. 47, quoque de sola Sardinia loquitur; cf. supra pag. 7.

sive opera Philadelphi, sive calumniis Pompeii in Menam factum, Octavianus non statim quidem, accepit tamen, quum revera pacem violatam esse existimaret; nam Sextum, neglectis pacis conditionibus, fugitivos recipere, triremes fabricari et praesidia in Italia habere dicebat. Octavianus igitur pacti instrumentum a Vestalibus repetiit, et Antonium Athenis et Lepidum¹ Brundisium ad certum diem evocavit, ut de hoc bello deliberaret, et simul naves longas Ravenna, et exercitum e Gallia, et alium apparatus Brundisium et Puteolos propeere misit, Siciliam ab utroque latere simul invasurus, si Antonio idem videretur².

Lepidus quidem statim non paruit, sed mansit in Africa, sive quod in foedere Misenico inferiores egisset partes, sive quod post pugnam Philippicam fere postpositus esset; Antonius vero cum paucis ad constitutum diem Brundisium venit; sed ibi Octavianum, in Etruria versantem, non invenit; idcirco eum non expectavit, sed in Graeciam reversus est, sive quod improbaret bellum suscipi tanquam contra foedus, sive quod insignem illum Octaviani apparatus videret; nunquam enim summi imperii studium eos metu vacare sinebat, sive prodigio quodam territus; specie igitur belli Parthici urgentis usus abiit. Scripsit tamen Octaviano, ne solveret pacta conventa, et minatus est, se rapturum esse Menam ad supplicium tanquam fugitivum suum. Servus enim fuerat Pompeii Magni, cuius bona iure belli sub hasta vendita emerat Antonius³.

Pompeius igitur rumorem divulgavit, Octaviani cau-

1) Dio solus de Lepido loquitur. 2) App. 1.1. Dio 1.1. et 46.

3) App. V, 79. Dio Ibid. 46.

sam ab Antonio non probari. Octavianus etsi ideo desertum se ab Antonio putabat sibi que soli hocce bellum esse sustinendum, iram tamen palam non ostendit, sed in Sardiniam Corsicamque misit, qui acciperent, quae Menas tradiderat, et munivit oras Italiae multis castellis, ne rursus Pompeius eas incursaret, iussitque alias triremes Romae Ravennaeque confici et magnum exercitum ex Illyria accivit, Menamque, quam primum ad se venit, liberum statim declaravit, aureis annulis eum decoravit¹ et coenae admisit, quod Valerius Messala apud Suetonium tradidit nunquam alias ab eo factum fuisse². Navium autem, quas ipse adduxerat, ducem creavit, ita ut legatus esset C. Calvisio Sabino, classis praefecto³.

Haec quum pacis tempore fierent, Pompeius postulavit, ut proditor una cum Sardinia et Corsica sibi traderetur; responsum vero est, non Octavianum, sed Pompeium primum aggressum fuisse, utpote qui contra foedus fugitivos receperat, triremes struxisset, castella in Italia obtinisset⁴.

Octavianus his rebus constituendis et ampliori apparatu ornando quum esset remoratus, ab Antonio se non expectatum fuisse questus est. Caeterum quae iam parata erant, L. Cornificium iussit Ravenna Tarentum adducere. In navigatione exorta tempestas solam navem praetoriam fregit, Octaviano paratam, quod in omen versum est. Crescente autem fama, contra foedus hoc bellum suscipi, Octavianus, ut

1) i. e. in equestrem ordinem adscripsit; vid. Dio Ibid. 45.

2) Aug. c. 74. 3) App. V, 79. Dio l. l.

4) Dio XLVIII, 45. Oros, l. l. Liv. 128. Eutrop. VII, 6 (3).

suspicionem tolleret, populum Romanum per literas, exercitum pro concione ipse docuit, Pompeium praedando per mare violasse foedus, piratas captos eum accusasse, Menam rem confiteri, idemque Antonium compertum habuisse et propterea Achaïam non tradidisse ¹.

Postquam igitur quae constituerat, parata fuerunt, navigavit ad Siciliam, ipse quidem Tarento, Calvisius Sabinus ² vero et Menas ex Etruria; pedestris etiam exercitus petiit Rhegium, in quem locum copias in unum coniungere, et inde Siciliam aggredi constituerat; properatione peragebantur omnia ³.

Utrumque autem imminente hostium classe, ipse Messanae Octaviano praestolatus est, Calvisio autem et Menae aliam, huic infensissimum, e libertis suis ⁴. Menecratem magna cum classe in Italiam obviam ire iussit, qui cum alia Campaniae oppida, tum etiam Vulturnum vastavit ⁵, et sub vesperam hostium in conspectum venit, qui in sinum illum, qui supra Cumas est, se receperunt ibique noctem illam quieverunt; Menecrate autem appulsus est ad Aenariam. Sub auroram Calvisius, qui, iussus cum Octaviano sese coniungere, volebat vel non audebat pugnam inire, sed oram sinus proxime continentem quantum poterat, lunata classe, ne illa perumperetur ab hostibus, legebat, cui Menecrates tum rursus apparet et mox summa vi et magna celeritate appropinquat. Quum tamen praecleari nihil

¹) App. V, 80. ²) Orosius falso Statilium Taurum cum Mena contra Menecratem pugnasse tradidit, VI, 18. vd. infra. ³) Hoc demum tempore, adnavigante Octaviano, secundum Appianum, l. l. Pompeius Menae transfugium comperit, vid. supra pag. 19. ⁴) Cf. sup. pag. 16. ⁵) Dio ibid. 46. Zonar. X, 33.

peragi posset, nisi hostes altum petere cogerentur, propius accedens naves eorum in terram propulit. Calvisius enim metuens, ne a viris, rei nauticae peritioribus, opprimeretur, suos iussit naves sub terram ducere, ne circumdaretur, et ut, terrestris proelii instar contra potentiores in vadis melius certari posset. Illi vero et in brevia inciderunt, et se simul ab hostium impetu defenderunt. Hostibus autem facile erat in altum se recipere, et, mutatis navibus, aliis post alias, si vellent, redintegrare impetum; illis luctandum etiam cum scopulis erat, in quos impegerant, et cum navibus, quae moveri non poterant; itaque videbantur pedestri certamine pugnare adversus hostes navibus pugnantes, ita ut neque persequi neque refugere possent.

Interea Menas et Menecrates se invicem conspicati, reliquo certamine misso, statim summa ira et impetu se invicem petunt, in eo victoriam et summam rerum ponentes, si alter alterum superasset. Horum igitur navibus magno cum impetu collisis, rostrum navis Menae fractum remorumque ordo Menecratis detersus est; iniectis dein utrimque manibus ferreis, nil quidem curarunt naves sibi inhaerentes; socii navales vero, perinde ac si in terra pugnarent, labori et virtuti nequaquam defuerunt, qui sagittis, lapidibus iaculis se obruebant, pontesque in naves iniiciebant, per quos transscenderent. Et quoniam Menae navis altior erat, pontes eius ab audacibus facilius permeabantur, et tela inde missa, ut e loco superiori, violentius incidebant. Iamque multis caesis, et sauciatis reliquis, Menas brachio vulneratus est veruto, quod statim e vulnere extractum est; sed Menecratis femur ictum est iaculo hamato solidi ferri, quod celeriter eximi non potuit. Mene-

erates etsi ita pugnae impar, tamen suos adhortabatur, donec, capta nave, in mare se praecipitaret. Menas, nave ad suam religata, ad terram navigavit, nec tamen ipse quicquam amplius efficere potuit.

Haec in sinistro cornu proelii navalis gesta sunt; et dextro Calvisius ad sinistram navigans, aliquot Menecratis naves interceptit fugientesque in altum persecutus est. Sed Demochares, alius Pompeii libertus et legatus Menecratis, reliquas Calvisii naves aggressus, partim fugavit, partim in saxa compulit, ubi fractae sunt, et postquam socii navales exsilierant, naves ipsas cremavit; Calvisius, a persecutione reversus, suas e fuga revocavit et caeterarum navium incendium prohibuit. Interecedente nocte quisque ad pristinam stationem rediit, et finis fuit navalis illius proelii, in quo longe praestitit Pompeianorum fortuna. Demochares tamen sive veritus, ne Octavianus in Siciliam traiceret, sive etiam contristatus Menecratis morte, ut elade maxima (hi enim duo, Menecrates et Menas, maxime insignes maritimis Pompeii rebus duces erant), omnibus rebus omissis, recta ad Siciliam navigavit, haud secus ac si non Menecratis corpus et unam navem, sed totam classem amisisset.

Calvisius, quamdiu Democharem invasurum se suspicatus est, in sua statione mansit, ad pugnam minime aptus; nam navium optima perierant, et caeterae ad pugnam inutiles erant factae; postquam vero cognovit, in Siciliam eum abiisse, reparatis navibus, oram legit, ne sinus quidem traiciens.

Pompeius Democharem, Messanam reversum, et

1) Dio XLVIII, 47. Oros. VI, 18. Zonar. X, 23.

Apollophanem, libertum quoque suum, Menae et Meneeratis loco classi praefecit.

Octavianus interea Tarento multis cum navibus et magno cum exercitu Rhegium profectus Pompeium, quadraginta tantum navibus instructum, prope Messanam offendit. Itaque hortabantur amici, ut tam opportuna occasione, tali classe instructus, aggredere Pompeium, paucas naves habentem, prius quam caeterae naves advenissent. Ille vero consilio parere noluit, expectans Calvisium negansque, prudentis esse periculo sese exponere, quum uberiora auxilia expectaret ¹. Postquam vero ei detrimentum ad Cumas acceptum nuntiatum est, enavigavit fretum, ut obviam iret Calvisio. Peracta iam maiore freti parte, quum Columnam Rheginam praetervectus esset, et Scyllaeum versus iter flecteret ², Pompeius Messana ex inopinato prosiliens, invasit posteriores naves, exploratorias persecutus est, et cunctas denique aggressus ad proelium provocavit. Hae vero, quamvis infestatae, ad pugnam non se instruxerunt, Octaviano non permittente, sive quod non auderet pugnare in angustiis, sive quod permaneret in proposito non pugnandi, Calvisio absente ³. Verum eius iussu ad litus omnes se receperunt, et ad ancoras fluctuarunt, ut e proris cum invadentibus dimicarent, easdem ob causas, quae Calvisium ut prope litus maneret, moverant, ut scilicet socii navales, quamvis gubernando impares, pares tamen pug-

1) Saepe enim iactare solebat: „sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene.“ Suet. Oct. 25. 2) E regione Pelori (Golfo di Squillace) *Scyllaeum*. Oros. IV, 18. De his locis eff. Strabo IV, p. 258 et 268; C. Plin. Secund. Nat. hist. III, 10. Dio l. l. ibiq. interpp. impr. Cluv. Ital. ant. p. 1295. 3) Cf. supra pag. 20.

nando hostibus essent. Octaviani autem naves crassiores quidem et celsiores, sed ideo tardiores erant. Demochare vero binis navibus in singulas irruente, et pro sauciis ac fessis, subinde in alias naves ad hoc destinatas repositis, novos integrosque recipiente, turbatae iam sunt naves, et in saxa et inter se collisae, aqua repletae sunt, et perierunt segnes etiam hae, sicut in Cumano proelio, quum hostes cum impetu adnavigantes et recur-santes eas assidue infestarent et lacerarent. Haec cum fierent, Octavianus e nave in saxa desiliit, et enantes e mari excepit, et in montem deduxit. L. Cornificius et quotquot alii duces ibi aderant, cohortati se invicem, iniussu imperatoris ancoris discissis, in altum eVecti sunt adversus hostes, quum mallent mori pugnantes, quam segnes perire. Et primum mira audacia Cornificius navem praetoriam Democharis concussam cepit, qui in aliam transiliit. Inter hos labores stragemque apparuerunt ex alto iam adnavigantes Calvisius et Menas, qui tamen a suis non conspecti sunt, neque ab iis, qui in terra, neque qui in mari adhuc erant. Sed Pompeiani, longius a terra remoti, novum hostem advenire videntes, ad eorum adspectum abierunt. Nam advesperascebat iam, nec fessi cum integris audebant congregari, quod quidem consilium caeteris periclitantibus salutare fuit.

Nocte ingruente, quicumque e navibus in terram evaserant, in montes confugerunt, accensisque multis ignibus, signa dabant iis, qui adhuc in mari erant; ibi pernoctantes ieiuni, sine corporis cura, omniumque rerum egeni. Quos Octavianus, non meliori sorte ipse usus, adhortabatur circumiens, ut ad mane usque durarent. His rebus laborans, ne tum quidem Calvisii

adventum cognovit, neque a navibus quidquam praesidii venit, quae occupatae erant naufragiis. Sed prospero quodam eventu tertia decima legio, audita clade, appropinquavit per montes et ad ignium signum per aspreta accedens, Imperatorem quique cum eo refugerant, fessos et victu carentes reperit, quos curarunt, aliis alios suscipientibus. Imperatorem centuriones in tabernaculum extemporale exceperunt, destitutum domesticis famulis omnibus, quos noctis caligo tantusque tumultus dispererat. Missis statim in omnes partes, qui incolumem eum esse nuntiarunt, cognovit, Calvisium cum praecursoriis navibus advenire, atque sic duabus rebus laetis et insperatis recreatus quieti se dedit.

Prima autem luce mare inspiciens vidit naves plane vel pro parte ambustas vel urentes adhuc, alias fractas, et mare velis, gubernaculis armamentisque nauticis repletum et earum, quae supererant, plerasque male affectas. Itaque Calvisii classe tutus reparavit ea, quae praesens remedium maxime requirebant, desistentibus hostibus, sive propter Calvisium, sive reportata victoria contentis, sive quod tum demum eos aggredi constituissent, ubi in altum forent provecti. In hoc rerum statu, auster exortus meridie vehementes fluctus movit in freto rapido et angusto. Attamen Pompeius iam intra Messanae portum erat; Octaviani vero naves rursus circa litus asperum et importuosum agitatae saxis et sibi invicem illidebantur, quum iustus remigum numerus non adesset, quo retinerentur. Calvisii autem classis minus laesa est; Menas enim rei maritimae longa consuetudine peritior, veritus, ne praesens periculum in horas augetur, longius a litore duxit naves, easque ancoris laxioribus, ne funes nimis tensi rumperentur, fixit, quum

in profundo mitiores essent fluctus, insuperque contra hos remorum vi contendebat, ne rursus ad terram appellerentur. Quod exemplum nonnulli quoque alii imitati sunt. Sed reliqua multitudo ventum brevi remissurum putans, ut solet¹ verno tempore, naves utrimque ancoris et a maris et a terrae parte retinuit contisque protrusit, ne inter se colliderentur. Sed ventus quum vehementius saevire coepisset, omnia confusa sunt, navesque ab ancoris abruptae collisae et in terram aliae super alias iactatae. His malis accedens maris aestus, solitus in hoc freto, insuetos magis consternavit, et navigia tunc maxime huc illuc raptata collidebantur. Nox autem, quae praecedente die haud parvo illis auxilio fuerat, tunc summum iisdem detrimentum attulit; nam vehementior factus est ventus, ita ut non amplius in luce, sed in tenebris perirent. Tandem primo mane repente ventus remisit, et post solis ortum protinus cessavit. Attamen, licet quiesceret ventus, diu etiam saevierunt fluctus. Sic igitur Octaviani navium virorumque maximam partem absumsit tempestas solito more et modo maior, qualem ne indigenae quidem unquam fuisse meminerant.

Ille igitur et superioris diei proelio multa pericula passus, et his duabus calamitatibus perterritus, impatiens infortunii, cui nullam opem ferre poterat, Sicilia potiundi spe abiecta, contentus fuit continentis oram tueri; igitur per montes eadem illa nocte cum festinatione Vibonem, Bruttiorum urbem², petiit, et inde amicos et duces epistolis hortatus est, ut in promptu

1) Suet. Aug. 16 ibiq. interpp. 2) Eadem quae Vibonia Valentia, antiquis Hipponium et Hippo, ubi hodie Montelcone.

essent, ne, ut in adversis rebus, aliunde novae contra ipsum orirentur insidiae. Pedestres autem copias, quae aderam, dimisit per totam Italiae oram, ne Pompeius, rebus prosperis elatus, etiam continentem invadere auderet ¹.

Verum ille non de Italia quicquam cogitavit, sed magis etiam animo elatus, vere Neptuni filium se credit, vestem coeruleam induit et equis ² atque, ut quidam referunt, vivis hominibus in fretum coniectis, Neptuno sacrificavit. Pacem flagitantes neglexit, et popularis aerae captandae opportunitatem omisit, neque naufragii reliquias vel praesentes vel absentes sedata tempestate aggredi conatus est. Itaque hostes, reparatis, utcunque poterant, navibus ³, vento secundo Vibonem navigarunt, non impediendo Pompeio, sive quod satis afflictos eos putaret, sive quod nesciret uti victoria, et omnino ad adoriendum segnis, solum aggredientium arcendorum narus esset ⁴.

Octaviani autem navium ne dimidia quidem pars superfuit et illa quidem vehementer vexata. Quarum cura legatis relicta, ipse in Campaniam abiit, aegre animo affectus; non enim alias naves, quum multis opus esset, neque tempus ad aliarum fabricam habebat, urgente insuper fame, et populo rursus pacem flagitante et incusante, contra foedus bellum susceptum esse. Praeterea pecunia necessaria indigebat, populo Romano neque conferente quicquam, neque vectigalia solvente, quae ille excogitaverat. Tum Octavianus, sagax ad per-

¹) App. V, 80—91. Dio XLVIII, 48. Suet. Aug. 16. Plin. VII, 45. Solin. I, § 49. Oros. VI, 18. Zonar. X, 23.

²) Et bobus auratis; Aurel. Vict. de vir. ill. 84.

³) App. V, 91. ⁴) Vd. Schweighäuser. annot. ad h. Appiani l.

spicienda, quae rei suae conducerent, Maecenatem ad Antonium misit, qui eum, melius edoctum de controversiis nuper inter ipsos exortis, ad belli societatem adduceret. Sin id minus successisset, cogitabat legiones onerariis in Siciliam traicere, et mari omisso, in terra bellum gerere ¹. Veri haud dissimile videtur, eum misisse Menam ad Lepidum, ut hunc etiam in societatem adduceret, qui in eo itinere Apollophanem, eandem fortasse ob causam a Pompeio in Africam missum, offendisse, damnoque affecisse dicitur. Hoc enim Octavianus habebat, ut in adversis sibi metuens, aliorum auxilia appeteret timidus; idem vero tumidus eos sperneret, simulatque per eos res resarciverat. Nam Sicilia potiundi spem quum abiecisset, nulla fere alia apparet causa, cur per mare hostium plenum Menam in Africam mitteret. Caeterum incolis insularum, quae circum Siciliam sunt, ad Pompeium deficientibus, Liparae, maximae ex Aeolicis insulae, incolas antevertit et, ex insula in Campaniam translato, Neapoli habitare usque ad belli finem coëgit ¹. Laetus tandem nuntius affertur, Antonium auxilium promississe, simulque Agrippam egregiam de Aquitanis victoriam reportasse. Interim remiges primum ab amicis, tanquam ultro conferentibus, deinde a reliquis, et Senatoribus et Equitibus et plebeiis locupletibus servos collegit, et militum delectus egit; pecuniam autem tum a civibus tum a sociis et a peregrinis tam in Italia quam extra eam

1) App. *ibid.* 92. 4) Dio XLVIII, 48. Aeolicae, quae et Liparenses, Vulcaniae sive Hephaestides insulae audiunt, ad septentrionalem Siciliae partem, in huius et continentis conspectu sitae, ab Appiano quinque, a Strabone aliisque septem numerantur. App. V, 105, cf. Strabo pag. 54, 123, 256 sqq. 274 sqq. cf. Cluv. Sic. ant. II, cap. 14.

contraxit. In universa ergo Italiae ora maritima naves aedificatae sunt. His autem parandis et colligendis exercendisque remigibus totus ille annus (716 U. c.) cum sequenti consumtus est, cuius negotii munus una cum Consulatu detulit M. Vipsanio Agrippae¹. Is omni studio in eam rem incubuit, et quoniam nullum litus erat, quo tutae illae in statione locari possent; eo enim tempore pleraeque eius continentis partes portum nullum habebant², Agrippa opus praeclarum et excogitavit et perfecit: Avernum et Lucrinum lacum, utrumque intra Cumas et Puteolos in Campania situm, fossa secum invicem et cum mari coniunxit, portusque navium stationi fecit aptissimos³. Hic ab hostibus securus, conductis et fabricatis navibus, viginti servorum millibus manumissis et ad remum datis, copias et re-

1) App. l. l. Dio ibid. 49.

2) Erant quidem ante Agrippam portus Baianus, Misenus, alii, sed non satis tuti et ampli; Fabr. ad Dion. l. l.

3) Lucrinus autem vadosus, oblongus erat lacus vel maris sinus, lacus instar, in latum productus usque ad Baias, aggero a mari Thyrrhenio interclusus, excepto angusto e mari aditu. Hunc igitur aggerem Agrippa quoque refecit et confirmavit, introitumque dilatavit. Avernus lacus interior in ipsa terra recedens, profundissimus, undique montibus cinctus, silvaeque obsita ora, quam Agrippa caedendam curavit, et habitandum et colendam iis, qui naves fabricarentur. Sic igitur Misenicam terram in peninsulae formam redegit. Eucleatam huius rei descriptionem legas ap. Dion. XLVIII, 50; 51. De his lacubus vd. omnino Strabo V, p. 244 sqq. cf. Vell. II, 79. Suet. Aug. 16. Qui portus dein *Iulius portus* dictus est in honorem Augusti, non, in Agrippae, neque ut Serv. ad Virg. Georg. V, 162. in honorem Iulii Caesaris. vdd. scrr., quos laudat Fabr. ad h. Dion. l. Plin. III, 5 (9); XXXVI, 15 (24) et intt. ad Suet. l. l. et ad Dion. XLVIII, 49. Diod. Sic. IV, 22. Avernus lacus totus et hodie exstat, Lucrinus vero fere omnis interiit, cineribus e terrae motu anni 1538 sic oppletus, ut nunc tenuis tantum et coenosa exstet palus cum exiguo arundineto. Cluv. It. ant. p. m. 1429.

miges hieme tota exercuit, navalibusque assuevit certaminibus¹.

Ineunte autem vere anni U. 717, Antonius Athenis² Tarentum cum trecentis navibus appulsus est, Octaviano auxilium, quod promiserat, laturus, et ut classem suam cum parte legionum Octaviani commutaret, quum ad Parthicum bellum sibi opus esset legionibus Italicis. Octavianus vero, ter in colloquium evocatus, venire noluit, sive quod aliquid Antonio exprobrandum haberet, sive quod suae ipsius facultatibus satis fideret, ut ad occupandam Siciliam Antonii et Lepidi auxilio uti amplius nollet, in animo habens, post Pompeium illos etiam imperio deiicere. Tandem, hortante Octavia, eius sorore, Antonii uxore, in colloquium venerunt inter Metapontum et Tarentum, ibique legionum cum navibus permutationem constituerunt. Octaviano Antonius centum et viginti naves, statim Tarentum missas dedit, Antonio autem Octavianus viginti millia militum ex Italia missurum se pollicitus est. Octavia etiam fratrem donavit decem phaselis trimibus, quos impetraverat ab Antonio, quod genus navium mixtum est e longis et onerariis. Octavianus vicissim Octaviam donavit mille selectis satellitibus, quos eligeret Antonius. Inque novum quinquennium sibi potestatem prorogarunt, nihil morati plebis suffragia, Sextoque Pompeio, quae ei destinata fuerant, Consulatum et sacerdotium, ademerunt. Inde Antonius recta properavit in Syriam, Octavia cum filiola apud fratrem relictis³.

1) App. Dio II. II. Suet. Aug. 16. Vell. Pat. II, 79.

2) E Syria Dio ibid. 45.

3) App. V, 93—96. Dio I. I. vd. supra pag.

Caeterum Menas, sive quod natura esset *καλιμπροδότης*, sive minas Antonii veritus, qui ad supplicium se eum, ut turbulentum mancipium¹, rapturum aliquando dixerat, sive praemia spe minora videns, neque ullum fere imperium consecutus, sive instigatus continuis caeterorum Sexti libertorum opprobriis, perfidiam ei obiectantium, et ut reverteretur adhortantium, semper potentiores colere solitus, Menecrate mortuo, fide impetrata, ad Pompeium rursus transfugit cum septem navibus², fallens Calvisium Octaviani praefectum. Quapropter huic classis imperium ademptum et in Agrippam translatum est³. Absolutam tandem classem lusitavit.

Omnes eodem praedicto die, decimo post aestivum solstitium, calendis Iuliis anni 718 U. c., solverunt naves. Aggressurus erat ipse Octavianus a Puteolis, Lepidus, qui invitus quidem promiserat auxilia, ex Africa, et Statilius Taurus a Tarento, ut sic hostem ab oriente pariter et ab occidente meridieque circumvenirent. Quem diem boni ominis causa elegerat in honorem patris Iulii Caesaris, perpetuo victoris, cuius nomine mensis Quintilis Iulius vocatus fuerat⁴.

Illo igitur die, prima luce, omnes solverunt: Lepidus navibus mille onerariis et longis septuaginta cum duodecim legionibus et quinque millibus equitum Numidarum multoque alio apparatu; e quarum copiarum multitudine colligere licet, iam tum Lepidum

1) Cf. supra pag. 83.

2) Orosius I.1. *sex.* 3) Dio ibid. 49. App. V, 96. Oros. I. Zonar. X, 24. 4) Ideo ob quam causam Octavianus illum diem elegerat, ex Appiano addere placuit, quia Dio eos ineunte vere solvisse tradidit.

animo volvisse, id quod postea frustra peragere conatus est, ut sibi soli Siciliam vindicaret ¹.

Huic Pompeius Plennium ad Lilybaeum cum una legione et alia leviter armatorum multitudine opposuit; orientale autem et occidentale Siciliae litus totum, et insulas praesertim Liparam contra Octavianum, et Cossyram ad meridiem contra Lepidum praesidiis munivit, ne portus vel stationes adversus Siciliam praerberent opportunas. Robur autem classis Messanae continebat ipse, ut statim adesset, ubicunque opus foret ².

Statilius Taurus Tarento exiit cum centum et duabus tantum ex Antonianis navibus, quum reliquarum duodeviginti remigium transacta hiems absumsisset ³.

Octavianus ipse classe lustrata et sacris factis Puteolis solvit. Praeibant praecursoriae aliquot naves sinus maris perscrutantes, et Appius Claudius cum praesidio navium agmen cogebat. Fidebat autem plurimum altitudine et immani magnitudine navium, lignorumque, ex quibus compactae erant crassitie insolita, qua naves ipsae hostilium impetui melius resisterent, harumque rostra, quod ipsae maiore cum vi alliderentur, averterent; turres praeterea ferebant ⁴,

1) Dio XLIX, 8. 2) App. V, 97 sq. 3) Vd. sup. pag. 95. cf. ad h. Appiani l. annot. Fabricii ad Dion. XLVIII, 54.

4) Servius ad illud Virgiliū VIII, 692: „aut montes concurrere montibus altos, Tanta mole viri turritis puppibus instant?“. „Agrippa, inquit, primus hoc genus turrium invenerat, ut de tabulis subito erigerentur, simul ac ventum esset in proelium, turresque, hostibus improvisae, in *naviganda essent occultae*. Undenam hauserit, et quo modo haec intelligat ignoramus, quum Appianus V, 106 et 107 utriusque naves in prora atque puppi turribus munitas fuisse teatetur; usum turrium iam legimus ap. Caesarem de bello Civ. 1. 3. et de bello Gall. 1. 3. Nisi

ut ex editiore loco tanquam de muro dimicaretur¹.

Tertio verò die postquam solverant, auster exortus est, qui Lepidi onerarias subvertit multas, nihilominus tamen naves ad Siciliam in stationem subduxit, Plennium intra Lilybaeum oppugnavit et aliquot urbes cepit, alias vi, alias deditione². Statilius Taurus, simulac ventus incepit, Tarentum reversus est. Appio verò Claudio circa Minervae promontorium, proximum a Miseno, iuxta Campaniae litus naviganti, navium pars in brevia cum impetu impacta, pars illisa est scopulis, reliquae non sine damno disiectae sunt³.

Octavianus autem, oriente tempestate, in Eleatem sinum Lucaniae, natura munitum, confugit, excepta una hexere, quae in cautibus naufragium fecit⁴. Ut vero eurus in africanum transiit, sinus, quàm ad occidentem apertus esset, misceri et turbari fluctibus coeptus est; neque e sinu exire potuerunt ob ventum afflantem sinui contrarium, neque remi neque anchorae suffecerunt, sed naves in se invicem vel ad saxa collisae sunt, quod malum noctu etiam magis asperum factum est⁵. Sedata tandem procella, Octa-

de diverso turrium genere cogitandum est, aut eum memoria lapsum de harpagonibus dicere voluisse. vd. infra p. 118 et supra p. 24.

1) Dio ibid. 9. 2) Dio ib. 8.

3) Appian. V, 91. de hoc prom. vd. Strabo p. 242 et 247.

4) Palinuri Lucaniae promontorium, quod Dio et Velleius memorant, situm est hand procul ab Elea, Helia, s. Velia, Siciliae propius; vd. Strabo pag. 253.

5) Huc Dio Cassius XLIX, 1. addit, reliquas disiectas Menam adortum fuisse, et alias combussisse, alias secum abripuisse. His tamen eadem significare videtur, quae Appianus c. 101 tradit: Menam ante, quam transfugerit, in hostiles naves impetum fecisse. Mirandum sane esset, Appianum, qui

viannus mortuos sepeliivit, vulnera curavit, enatantes vestivit, aliisque armis instruxit, totam denique classem pro praesentibus viribus reparavit. Perierant autem illi graviores naves sex, leviores sex et viginti, liburnicae etiam plures. His damnis reficiendis opus erat triginta dierum spatio, et iam processerat aestas. Unde illi tutius fuisset in aetatem proximam bellum differre. Quum vero populus inopia laboraret, celeriter naves subduxit et reparavit¹, fractarumque socios navales ad Statilium Taurum misit, ut vacuas Antonii naves suppleret. C. Cilnium Maecenatem vero Romam misit, metuens, ne Pompeii Magni nondum abolita esset e civium animis memoria. Colonos autem in Italia ipse magna cum festinatione ambiit et a praesentium rerum pavore recreavit. Tarentum quoque properavit, ut Statilii Tauri classem viseret, indeque Vibonem profectus exercitum allocutus est naviumque apparatus acceleravit, brevi Siciliam denuo invasurus².

Sextus Pompeius ne hac quidem tot naufragiorum occasione uti opportunum putavit, sed sacrificavit tantummodo Mari et Neptuno, quorum vere filium se credit, cum sibi persuaderet, non sine deo bis ita et quidem per aestatem cladem accepisse hostes. Quibus successibus inflatus, mutasse paludamentum imperatorium coeruleumque sumpsisse pro purpureo dicitur, adopta-

talium rerum et huius quoque tempestatis, et quae illam subsequuta sunt, tam enucleatam enarrationem dedit, praeteriisse hanc illo tempore Menae irruptionem. cf. sup. p. 21.

1) Quod igitur prope Eleam, non quidem in Baiano sive Julio, ex quo exierat, sinu perfecisse videtur. vd. infra pag. 102.

2) App. V, 98, 99. Dio XLIX, 1. Zonar. X, 24. Vell. Pat. II, 79. Suet. Oct. 16. Plin. VII, 45.

tus scilicet a Neptuno ¹. Itaque quum audivisset, Octavianum, quem certe domum rediturum confiderat, instaurata classe aggressurum esse denuo ea ipsa aestate, metu percussus est, quod sibi cum invicto animo et apparatu esset certandum. Menam igitur cum septem ², quas adduxerat, navibus emisit speculatum navalia Caesaris, damnum simul illaturum quantum posset.

Is vero aegre ferens, classis imperium, ne contra Lepidum quidem, sibi non traditum fuisse, et tunc sentiens propter suspicionem solas, quas adduxerat, naves sibi creditas, transfugium rursus molitur. Quum autem in quemvis eventum sibi conducturum putaret, si prius aliquod virtutis specimen edidisset, auro quod habebat sociis navalibus distributo, remigando

1) Cuius Sex. Pompei fastus Dio iam meminit ad annum U. c. 714, paullo post Siciliam ab eo occupatam (XLVIII, 19, coll. cap. 31); tum rursus post classem Octaviani ad Seyllaeum promontorium profligatam (c. 48); ibique loquitur tanquam de re indubitata. Hoc vero loco, quo solus Appianus dubitans illum fastum refert, eius ne mentionem quidem facit. Fortasse autem illa Sexti opinio pedetentim aucta fuit; *bis enim et quidem per aestatem* (insolitum quoddam in illo mari) naufragium factum. Non mirum ergo, Sextum credidisse, deos et imprimis Neptunum sibi plurimum favere, inque eorum honorem sacrificasse, numosque, eius imagine insignitos, cudendos curasse, et, quum nonnulli eum adulantes Neptuni filium salutavissent, quia pater eius quondam totius maris imperium habuisset, populusque in Neptuni imagine in theatrum allata Pompeio aliquando plausisset, eum bello ab Antonio et Augusto peti aegre ferens, haec eum in honam partem accepisse. Haec igitur respiciens Horatius (epod. carm. 9) eum *Neptunium ducem* vocavit. Fama autem, quae ex musca elephantum facere solet, eum equos, immo etiam viros vivos in mare coniecisse tradidit (Dio I. I.). Quid? quod Caesar Octavianus Augustus Apollinis se filium vocari non invitus audivit, (teste Suet. Oct. 70 et 94), Scipio quoque Africanus se Iovis filium dixit? Quis tandem non recordatur Alexandrum Magnum, qui Hammonis se filium venditavit?

2) Oros. cum *sex.* VI, 16.

intra triduum mille et quingentis stadiis peractis, fulminis instar in praesidiarias naves, quae Octaviano fabricabantur, improvisus irruit et rursus citissime abiens, duas vel tres earum capit; onerarias quoque, frumentum afferentes, vel in stationibus vel praeternavigantes merisit, capit, vel incendit. Itaque omnia propter Menam terrore repleta sunt, quum neque Octavianus adesset, neque Agrippa, qui in silvas ad materiem comparandam profectus erat. Aliquando etiam illudens hostibus, sponte navem in molle litus contemptim impingit, seque in luto haerere fingit, donec, hostibus a montibus tanquam ad paratam praedam decurrentibus, remigando cum risu abit, moerentibus et stupentibus hostibus. Postquam igitur, qualis hostis et qualis socius esset, ostenderat, T. Caninium Rebilum Senatorem captum dimisit, futura iam parans ¹. Mox Mindium Marcellum, Octaviani familiarem, cuius amicitiam in priore transfugio sibi conciliaverat, defectionem moliri, rumorem apud suos sparsit ². Deinde ad hostes appropinquans, postulavit, ut Mindius cum ipso conveniret in insulam quandam parvam, consultum de rebus utriusque profuturis. Quo impetrato colloquio, semotis arbitris, dixit, se fugisse ad Pompeium, contumelia affectum a Calvisio Sabino classis praefecto; nunc vero, praefectura in Agrippam translata, se rediturum ad Octavianum, non male de se meritum, modo fidem sibi afferret a Messala, Agrippae absentis

¹) Hic Iulii Caesaris legatus fuerat, familiaris et necessarius Scribonii Libonis. Consul fuit a. U. 710 per aliquot horas, propter quod deridet eum Cicero in ep. ad Div. VII, 30. Cf. Caes. bell. civil. I, 26. Tacit. Hist. III, 37. Cic. ad Att. IX, 15.

²) De sectore hoc infami, P. Sullae simili, vd. Cic. ad Div. XV, 17.

vicario ¹. Promisit autem, se reparaturum peccatum suum claris facinoribus, sed donec fidem impetrasset, infestaturum Octaviani naves, ut antea, ad suspicionem removendam. Quod revera fecit, ut maius postulationi pondus adderet, festinaretque ad ea, quae petiisset. Messala vero dubitavit aliquamdiu, ut de re parum honesta; sed tandem concessit, sive has belli necessitates esse existimans, sive etiam de Octaviani sententia praemonitus, coniecturamve faciens. Sic Menas rursus transfugit et ad Augusti genua oravit, ut sibi ignosceret, nec fugae causas requireret. Hic autem propter datam fidem veniam illi salutis dedit, sed occulte eum observari iussit; triremium eius praefectos quocumque vellent abire permisit. Ab eo inde tempore in Augusti partibus mansit, et postea in Pannonica expeditione a barbaris occisus est ².

Parata mox classe, Octavianus solvit iterum, appulsusque Vibonem, tres duce (Albio) Carrinate ³ legiones ad Columnam Rheginam et in extremum fretum misit, ut rebus futuris subsidio essent. Statilium autem Taurum ad Scylacium montem ⁴, ut inde Taurome-

1) Fuit hic M. Valerius Messala Corvinus, quem Tibullus carminibus celebravit. Antea a Triumviris proscriptus fuerat; vd. inf. pag. 111. Postea in mercedem fortitudinis ac fidei, Augur extra ordinem ab Octaviano creatus est. Cos. a. U. 723 et 751. Obiit a. 764. Vdd. de eo Tibullus et interpp. ad hunc. Dio Cass. XLIX, 16; 34; 37 et passim. App. de rebus Illyr. eap. 17. 2) App. V, 100; 101; 102; vd. Dio XLIX, 1; 37.

3) Cf. App. V, 112, cf. sup. pag. 21 et 54.

4) Appianus in textu habet *Σκυλάκιον ὄρος ὃ πέτραι ἐστὶ Ταυρομενίου*. An Scyllacium montem dicit *Cocintum* promontorium, quod in extremitate sinus Scylacii erat, et Tauromenio oppositum utcumque poterat dici? Schweighäuser. ann. ad App. V. 103. Utut est, rursus hoc loco mihi geographicum errorem errasse videtur. Scyllacius mons non confundi

nium, orientalem Siciliae urbem, traiceret, a Tarento litus circumnavigare iussit, quod ille peregit, paratus tam ad pugnam, quam ad remigium, subsequente eum terrestri itinere exercitu, recognoscentibus equitibus et liburnicis praeceuntibus classem. Ad eum sic iter facientem Octavianus ab urbe Vibone accurrit et prope Scyllacium eum offendit.

Pompeius autem, ut diximus, aditus insulae omnes custodivit, et naves Messanae continuit, succursurus, quocunque opus foret.

Dum hic ita res parantur, reliquus Lepidi exercitus, quatuor legiones, ex Africa transvehantur, quibus Pompeianus dux Papias, obviam factus eas in alto disiecit, quum tanquam amicum eum exspectarent, et naves a Lepido missas sibi occurrere putarent. Has autem tardius a Lepido in mare deductas postea advenientes onerariae ut novi hostes evitarunt. Itaque ex iis aliae captae, aliae crematae submersae sunt; nonnullae in Africam reverterunt. E legionibus duae in mari perierunt, et si qui militum enatarunt, eos Gallus Tisienus, Pompeii legatus², terram prensantes confecit; reliquus exercitus ad Lepidum delatus est, vel tunc, vel postea. Papias deinde ad Pompeium navigavit³.

Octavianus autem in Liparam et Strongylen, Aeoli-

debet cum promontorio Scyllaeo, ad freti Siculi introitum, quod hinc longe abest. Non enim procul a Crotone ad meridiem situs est.

1) *Papias* et *Demochares* unum eundem significant virum, quod vel obiter Dionem et Appianum inspicienti clarum fit. Vd. sup. pag. 16.

2) Ante Perusiam captam L. Antonii legatus; Dio XLVIII, 13. App. V, 32. 3) App. V, 104. Dio XLVIII, 8.

cas insulas, Vibone cum tota classe traiecit, exploratoriis navibus praemissis¹. Quum autem cognovisset, Siciliae illam frontem circa Pelorum, Mylas et Tyn-
daridem pluribus custodiri copiis, ipsum ibi adesse Pompeium coniecit, et Agrippae munus imperatorium ibi obeundum reliquit. Ipse Vibonem reversus, inde in Statilii Tauri castra cum Messala et tribus legionibus properavit, occupare Tauromenium adhuc absente Pompeio, adeoque duabus a partibus impetum facere cogitans.

Agrippa igitur ad Hieram Aeolicarum insularum aliam traiecit², repulsisque Pompeii praesidiariis eam cepit, crastino die Mylas Demochari, cum quadraginta navibus stationem ibi habenti, praeripere cupiens; sibi enim cunctandi causam adesse nullam, multas vero Pompeianis. Pompeius vero, Agrippae ferociam timens, alias quadraginta quinque naves Messana ad Democharem misit, duce liberto Apollophane, quem ipse secutus est cum septuaginta aliis³.

Agrippa autem eadem illa nocte ex Hiera solvit cum dimidia navium parte, quasi cum solo Demochare certaturus. Quum vero Apollophanis et septuaginta cae-

1) Hod. Stromboli s. Strongoli. In hanc Appianus, Dio cum in Liparam traicientem facit huiusque insulae incolas antea ab Octaviano Neapolin translatos ibi usque ad finem belli habitasse tradit, qua de re nihil Appianus; qui tamen eam a Pompeio munitam fuisse dixit. cf. diss. pag. 22.

2) *Θέρισσα* s. *Ἰερόν Ἡφαίστειον* apud Strabonem, inculta insula; p. 275 sqq. Hodie Isola di Volcano. Nomen eius conditionem declarat. cf. Plin. III, 9. Media est inter Liparam et Siciliam, Mylis ex adverso. cf. Strabo, locis pag. diss. 22 citatis, imprimis p. 275. Scylax. peripl. A Lipara ad Mylas traiectus est dimidii diei. Cf. Cluv. Sic. ant. p. 406 sqq.

3) App. V, 105. Dio ibid. 1; 3.

teras Pompeii naves vidisset, extemplo Octaviano significavit, Pompeium cum maiore classis parte adesse ad Mylas; graves igitur naves in medium agmen ipse ducit, reliquam classem cum festinatione ex Hiera advocat. Utrimque autem apparatus erat magnificentissimus, et turritae a prora et a puppi erant naves¹. Ut autem, post solitas cohortationes, signum datum est, in se invicem irruerunt magno cum clamore, navium strepitu omnisque generis terroribus, alteri in frontem alteri per anfractus. Pompeii naves erant minores, sed numero plures, leviores et ita ad aggrediendum et circumveniendum aptissimae; Octaviani naves erant maiores et graviore, sed ob id ipsum tardiores, ad ictus tamen tum inferendos, tum sustinendos validiores. Huius utique milites robore praestabant, illius rei navalis peritia et audacia; plerique enim ex Italia profugi desperatione magna incitabantur. Pompeianae igitur non tam irruendo, quam circumeundo proficiebant, et vel palmas remorum vel gubernacula maiorum navium frangebant, vel remos retundebant, vel etiam separabant navigia, nec minus, quam si rostris percussissent, laedebant. Octaviani vero naves ipsis rostrorum ictibus minores Pompeii naves avertabant, vel quassabant, vel diffrangebant, et quoties secum invicem cohaerebant, missilibus ex editiore loco humiliores obruebant et corvos et manus ferreas facilius iniiciebant². Pompeiani autem simul atque urgebantur, in

1) Cf. pag. 97.

2) Corvus, manus ferrea et harpago proprie diversa armorum genera fuerunt. Corvi ob similitudinem sic dicti sunt. Horum accuratam, sed paullo obscuram descriptionem invenies apud Polyb. I, 22, ubi primum Duilium iis usum esse videbis. cff. quoque Polyb. I, 27 et 28, Curt. IV, 2, sq.

mare exsiliabant, quos deinde scaphae circumnavigantes recipiebant.

Agrippa autem in Democharis navem maxime impetum direxit, ictamque prope proram¹ et concussam diffidit ad carinam usque, ita ut ii, qui in turribus erant, excuterentur², et navis aquam copiose hauriret, qua infimus remigum ordo totus obrutus est; caeteri, tabulato diffracto, enatarunt³. Papias autem in proximam receptus, rursus in proelium rediit. Tandem instante nocte Pompeius e monte conspicatus naves suas parum proficere, quoties enim cominus res gereretur, nautis privari, et praeterea reliquam Agrippae classem ex Hiera advenire, signum dedit suis, ut servatis ordinibus sese recipere. Quod quidem fecerunt, modo

2 et 3. vdd. Stewech. comm. in Flav. Veget. III, 44, p. 360 et Scheffer de mil. nav. l. 2, c. 7. De manibus ferreis et harpagonibus vd. infra pag. 118.

1) *Κατὰ τὴν ἐπιτορίδα* App. V, 107. A similitudine aurium dictae sunt epotides, longae ac prominentes trabes, utrimque firmitatis causa supra rostra navibus appositae, de quibus erudite Job. Schefferus l. 2 de militia navali c. 5, (qui liber omnibus, rei navalis apud antiquos cognitionis cupidus, adeundus, invenitur quoque in Poleni supplem. in Graec. et Rom. Graevii et Gronovii antt. tom. V, p. 874 sqq.) ubi et ectypa quaedam numerorum, in quibus res apertius oculis obiiicitur. Fabric. ad Dion. XLIX, 3.

2) Haec, et quae pag. proxima de turribus navium dicta sunt, imprimis pugnant contra sententiam Servianam, supra expositam et refutatam pag. 97. cf. Scheffer l. l.

3) Remiges fere triplices erant: *θαλάμοι*, qui in ima, *ξυγῆται*, qui in media, et *θρανῆται*, qui prope *καταστρωμα* (tabulatum, quo currebatur et pugnabatur) i. e. in summa navis parte remigabant. Singuli remiges singulos remos vulgo movebant, quique in supremo versu remigabant, plus stipendii accipiebant, quam qui in imis, utpote qui longioribus et gravioribus quam caeteri, remis utebantur. Vd. Scheffer. op. l. II, 3, p. 854 sqq., qui, hunc citans Appiani locum, levi errore pugnam Actiacam pro hac nominavit.

procedentes, modo paullum semper retrocedentes. Agrippa vero acrius instante, fugerunt non ad litora, verum ad loca, ubi fluviis mare limosum et vadosum factum erat, quo Agrippa eos non secutus est, sed gubernatorum hortatu, ne magnas illas naves locis vadosis committeret, in alto ad ancoras fluitare coepit, imminens hostibus, et noctu etiam, si opus esset, proelium commissurus. Monentibus vero amicis, ne iram magis quam rationem sequeretur, neve vigiliis et laboribus milites consumeret, neve mari infido, tempestatibus obnoxio, confideret, vix sero se retro recepit¹. Pompeiani autem portus suos petierunt, triginta navibus amissis, submersis quinque hostilibus, aliisque multis acceptis pariter atque illatis damnis. Quos Pompeius collaudans, quoniam tantis restitissent navibus, potius muros oppugnasse, quam navale proelium eos commisisse dicens, quasi victores eos donavit adduxitque in spem, fore ut in freto propter fluxum et in vadosis locis, utpote leviores, superiores evaderent, atque se aliquid ad navium altitudinem additurum promisit².

Suspiciatus autem, id quod erat, Caesarem Octavianum in Statilii Tauri castra profectum, invasurum esse Tauromenium, post coenam statim Messanam reiectus est, ubi celeriter alios integros milites in naves suas recepit, parte tamen navium Mylis relicta, ut Agrippa ipsum etiam nunc ibi adesse putaret³.

Hic autem, postquam exercitui, quantum satis erat,

1) Dio memoriae tradidit, eum, Octaviani invidiam veritum, absolvere victoriam noluisse, sed Imperatori suo reliquisse.

2) App. V, 106 sqq. Dio XLIX, 2 sqq. Zon. X. 24. Liv. 129. Vell. II, 79. Suet. Oct. 16. Oros. VI, 18. Flor. IV, 8.

3) App. V, 109. Dio XLIX, 5.

quietem dederat, Tyndaridem, prope Mylas occasum versus sitam, navigavit, ubi tamen, ab oppidanis sese deditibus receptus, a praesidiariis strenue repugnantibus, rursus eiectus est. Alia vero oppidula ad illum transierunt et praesidia receperunt, quo facto vespere ad stationem rediit ¹.

Caesar Octavianus igitur, certior factus, Pompeium Messana propter Agrippam Mylas profectum fuisse, interea cum Antonianis navibus² iam Scylacio Leucopetram³ devectus fuerat, inde noctu fretum Siculum, ad Tauromenium transiturus. Quum vero de proelio navali apud Mylas audivisset, sententiam mutavit, victorem non clam, sed clara luce decere confidentem exercitum transmittere existimans. Etenim pro certo habebat apud Agrippam versari adhuc Pompeium. Quum ergo exorta die e montibus in altum prospexisset, idque hostibus vacuum comperisset, iter incepit, imposito, quantum classis capiebat, milite, reliquis M. Valerio Messalae commissis, donec ad eum naves rediissent. Ad Tauromenium autem delatus, misit ad urbem, qui deditio- nem poscerent, quae quum a praesidiariis negaretur, meridiem versus praeternavigato flumine Onobala⁴ et fano Veneris, ad Archegetam⁵ appulit, castra ibi posi-

1) Fortasse apud App. V, 109 pro ἐς ἑσπέραν legendum est ἐς Ἱεράν, quum Agrippam unius diei spatio Tyndaridem tentasse atque alia occupasse oppidula, et tamen deinceps vesperi in stationem rediisse credi vix posse mihi videatur.

2) Cf. pag. 97 et 99.

3) Leucopetra erat promontorium prope Rhegium in australi Bruttiorum parte situm, hodie Capo dell' Armi. Est hic finis montis Apennini.

4) Onobalas Vibio Sequetri Tauromenius fluvius, (hodie Cantara) dicitur; vd. Cluver. Sicil. ant. pag. 93. Schweighäus. ad h. App. l. et imp. Bochartus de Phoen. colon. I, 28, cf. sup. pag. 21, sq.

5) Est autem Archegetes Apollinis parva statua, quam olim posuerant Naxicorum ii, qui in Siciliam coloniam

turus, et inde Tauromenium aggressurus. Ibi igitur dum castra metatur, Pompeium magna cum classe adnavigantem comperit, eoque magis necopinatum eius adventum miratur, quo certius ab Agrippa eum devictum putaverat. Simul accurrit, celeritate contendens cum navibus, Pompeii equitatus, et pedestres quoque copiae ab utraque parte conspectae sunt, ita ut exterriti sint omnes, a tribus hostium exercitibus circumventos se videntes; nec minus exterritus est Octavianus, cum non amplius Messalam arcessere posset. Copiae autem, quas navibus secum tulerat, praeter socios navales, constabant tribus legionibus, quingentis equitibus sine equis, mille velitibus, et colonorum auxiliarium voluntariorum duobus millibus. Hostilis igitur equitatus statim Caesarianos, in castris muniendis adhuc occupatos, infestavit¹. Quodsi simul cum equitibus pedites quoque et classis impetum fecissent, maiorem fortasse rem gessisset Pompeius. Nunc vero belli imperitia et ignorantia trepidationis hostium, veriti sub vesperam inire proelium, alii alio abierunt, noctuque quieverunt⁶; Caesariani quidem vallum absolverunt,

deduxerant; App. V, 109; coloniae enim deducendae *dux* et *auctor* iis fuerat, vd. Thucyd. VI, 3. Cluv. l. c. Spanhem. ad Calim. hymn. in Apoll. v. 57. Schweigh. ad h. App. l. Freinsh. suppl. Liv. l. 129.

1) In eo ab Appiano discrepat Dio l. l., ut hic quiete castra iam perfecta fuisse dicat, quum Caesar adveniret.

2) Secundum App. V, 110, naves in stationem ad *Coccynum* promontorium et terrestris exercitus, quum prope hostes castra metari nollet, in *Phoenicom* urbem secessissent. Utrumque ignotum, ac fortasse mendosum nomen. Ortelius, (referente Cluv. Ital. ant. p. 1301), Cocintum promontorium (Capo di Stilo) intelligi putavit id, a quo sinus Scylacius incipit, Caccinum et Carcinum alibi appellatum. Cluverus autem, nescio quo documento confidens, l. c. pag. 1305, ait: Apud App. bell. civ. V, legitur vocabulum *Κόκκυνον* pro *Πάγγονον*. Sed vereor, ne utrumque

sed labore et vigilia ad pugnam minus utiles sunt red-
diti¹. Octavianus autem Pompeii ignavia in spem ad-
ductus, fore ut profugi tantum essent a pugna Mylensi,
quos offenderet, adeoque facile cum Messala se coniun-
geret, postquam terrestres copias omnes L. Cornificio
tradiderat, eumque repugnare hostibus et pro tempo-
ribus agere iusserat, ipse, ne a mari ab hostibus ex-
cluderetur, iam ante lucem cum navibus in altum pro-
vectus est, ad proelium tamen paratus, dextro classis cor-
nu Titinio, sinistro alii legato commisso². Ipse liburnica
vectus, omnibus hortator aderat, quam ob causam im-
peratoria insignia, ut in maximo versans periculo, de-
posuit. Occurrente autem ex adverso Pompeio, bis
congressi sunt, et usque ad noctem pugnaverunt; sed
quam Octaviani navium pars caperetur vel incenderetur,
aliae, expansis minoribus velis, contemptis mandatis
confugerunt in Italiam, quas paulisper persecuti sunt
Pompeiani; mox vero ad reliquas reversi, earum alias
ceperunt, alias incenderunt³. Quotquot autem in ter-

promontorium et Cocintum Italiae, et Pachynum Siciliae nimis longe absit
a Tauromenio, ut alterutrum h. l. ab Appiano dictum fuisse intelli-
gitur. Schweigh. annot. ad h. l. Neque Abalas portus neque Myconius
mons, mox sequentes, apud quemquam scriptorem inveniuntur. Aut igitur
videntur sub his nominibus latere loca, quae ab aliis aliter dicta sint,
aut tam parva fuerint, ut geographis, aliisque memoratu haud digna, vel
ignota, nautis tantum, et in oris ipsis versantibus cognita essent, aut deni-
que Appianus ipse falli potuit. 1) App. V, 109 sq. Dio l. l. m. m.

2) De *Carcio*, quem alterum legatum nominat Appianus, sic Drumann.
IV, p. 581: »Dieser Name ist nicht römisch und von App. oder
den Abschreibern entstellt, vielleicht auch nur aus dem vorigen, wo der
Fluss Carcines (sic) erwähnt sein mag, der sich in den Meerbusen von
Seylacium ergoss, irrig hierher versetzt.« Nisi, ut proxime dictum est,
nimis abest ab urbe Tauromenio. 3) Antonianarum navium 70 postea ad

ram enatabant, ii vel ab equitibus Pompeianis capti et caesi sunt, vel ad L. Cornificii castra se proripuerunt, quos ille accurrentes excepit, velitibus solum obviam missis, non opportunum ratus legionem haud nimis animosam educere, quum hostis, victoria, uti fieri solet, insolescens, illis oppositus esset.

Octavianus autem in actuariis navibus ad multam noctem iactatus, incertus, Cornificiumne peteret per media tot naufragia, an ad Messalam confugeret, tandem forte fortuna in continentem¹ delatus est, cum unico armigero, orbatus amicis, satellitibus, servisque. Quem nonnulli, rerum gestarum cognoscendarum cupidi, a montibus decurrentes, invenerunt corpore et animo defectum; eumque nunc in hoc, nunc in aliud acatium² translatum, quo magis hostem fallerent, ad Messalam, qui non longe aberat, transportarunt³. Ille autem statim, priusquam corpus curaret, ad L. Cornificium liburnicam misit, quae tamen capta fuisse neque ad hunc pervenisse videtur, et undique per montes dimisit, qui ipsum incolumem esse nuntiarent, omnes-

Antonium redierunt, teste App. V, 139. Certo igitur hoc proelio perierunt, quandoquidem Statilius Taurus, (exceptis iis navibus, quarum remigium suppleverat Octavianus suis remigibus, qui e navigiis tempestate fractis supererant), cum 102 Tarento exiisset. vd. supra pag. 97 et 99.

1) Ad *Abalam* portum, teste App. V, 112. Ignotus Italiae inferioris portus, neque alibi nominatus. cf. Dio XLIX, 5. Cluverio, ex mera coniectura, idem portus videtur, quem *Βαλαρόν* superius nominatum vidimus, pag. nostra 63; cf. Schweigh. ad h. App. l.

2) Parvum navigii genus, de quo Scheffer, l. l. II, 2, p. m. 821 D.

3) Is Messala idem erat, quem proscripserant Triumviri, praemio et libertate interfectori promissis, quiq; deinde ad Cassium et Brutum confugerat, quibus mortuis, classem, interposita pactione, Antonio tradiderat. Quod nunc recordari ibuit, in Romanae virtutis laudem, quemadmodum Messala, proscrip-

que opem ferre Cornificio iuberent, cui ipse per literas pollicitus est, mox affore auxilium. Postquam deinde corpus curaverat, M. Valerio Messala comitante, ad Columnam Rheginam noctu profectus est, ad (Albium) Carrinatem, tres habentem legiones, ad navigationem paratas¹, quem iussit in Liparam traicere, quo et ipse traiecturus esset. Agrippae scripsit, ut celeriter Laronium cum expeditis in Siciliam ad Cornificium, in discrimine versantem, ablegaret. Maecenatem Romam misit, propter rerum novarum cupidos, in quorum auctores nonnullos animadversum est. Messalam autem Puteolos misit, qui ad urbem Vibonem, primam, quae vocatur, legionem adduceret². Nihil tamen ex hac victoria Pompeius profecit aliud, quam ut Imperatorem se iterum nuncupaverit³.

L. Cornificius quamvis a castris facile hostem arcere potuisset, tamen, laborans commeatus inopia, suis in aciem eductis, hostem provocavit. Verum Pompeius detrectavit certamen cum viris in sola dextra spem habentibus, eosque fame potius subigere voluit. Tum Cornificius, secum reputans, si ibi maneret, tandem se fame expugnatum iri, quod si alio se conferret,

rem suam in tanta calamitate in potestate habens, tamen curavit ut imperatorem, et servavit. App. V, 113. Cf. supra diss. pag. 102.

¹) App. V, 103. cf. supra pag. 32. ²) App. V, 112 sq. Dio l. l. Zon. l. l. Liv. 129. Plin. 922 (16). Vell. II, 79, § 4. Suet. Oct. 16 et 96. Oros. VII, 18.

³) Cf. supra pag. 55. Numi hoc indicant, in quibus inscriptum est IMP. ITER. Quandonam vero Imperatorem se dixerit, neque e numis, neque a scriptoribus declaratur, quia non supplicatio vel gratulatio, nec triumphus secuta sunt. Iure tamen his temporibus id ponitur. Vdd. Ursin. fam. Rom. p. 206; Paruta Sic. num. tab. 168, No. 36; tab. 169, No. 43; Vaillant, Pomp. Nis 16, 17, 22, 23. Eckhel, tom. II, p. 61. Drumann. IV, p. 580.

spem adesse, ut vel in tutum locum se recipere, et cibariis potiri, vel a Caesare sive ab Agrippa subsidium accipere posset, receptis in medium agmen inermibus, qui e navibus ad eum confugerant, navibusque, quae e pugna supererant, et ad castra delatae erant, combustis, iter difficile atque periculosum septentriones versus ingressus est, in planis ab equitatu, in asperis et montuosis regionibus a velitibus et leviter armatis Numidis vexatus, qui eminus iaculantes, non solum facile ex agmine in ipsos procurrentes effugiebant, sed etiam revertentibus in agmen, facta excursione a suis divulsis, admodum molesti erant. Caeterum cum reliquo in itinere, tum in transeundis praesertim fluminibus summopere affligebantur, quia tum potissimum hostes urgebant, qui paucos simul, properanter et sine ordine euntes, ut ratio itineris exigebat, nudatosque, qua vulneribus maxime expositi essent, in limum lapsos et detentos aut rapidiore fluminis cursu abreptos, eminus vulnerabant. Quarto demum die in aridam illam regionem pervenerunt, quae, a monte Aetna usque ad mare porrecta, ignis olim profluvio inundata fuisse fertur, ita ut omnes scaturigines exsiccatae sint, quae regio ne ab accolis quidem nisi noctu peragrari solet, propter diurnum aestum suffocantem et cinerosum pulverem, quo repleta est. Sed Cornificius cum suis neque noctu, silente praesertim luna, propter loci ignorantiam et insidiarum metum, iter facere ausi sunt, neque interdiu substiterunt; ita ut suffocarentur, et pedum plantae, eorum praesertim, qui nudi incedebant, tanquam aestatis fervore, adurerentur; sitis autem impatibilis cum eos morari non sineret, in hostem telis infestantem amplius non ex-

currebant, sed impune vulnerabantur. Ubi vero etiam exitus huius perusti agri ab aliis hostibus obsideri viderunt, infirmioribus nudisque neglectis, in fauces, quotquot poterant, caeca audacia irruerunt, hostesque pro viribus repulerunt; sed quum alias etiam fauces occupatas cernerent, desperatis rebus, siti, aestu et labore afflicti, remittere ab impetu coeperunt. Cornificio vero cohortante et fontem in propinquo ostendente, redintegrato impetu propulerunt quidem hostem, sed non sine magna suorum iactura. Verumenimvero quum ab aliis rursus hostibus fontem occupatum viderent, iam omnes et animi et corporis vires eos defecerunt. Sic affectis subito e longinquo apparet Laronius, cum tribus legionibus et frumento ab Agrippa missus¹, utrum vero amicus hostisve esset, adhuc dubitabatur; quum vero spem semper haberent, fore ut auxilium mitteretur, animum denuo receperunt, et, quum Pompeianos, opinatos Agrippam cum omnibus adesse copiis, aquam relinquere viderent, ne includerentur medii, prae gaudio quantum potuerunt exclamarunt; quem clamorem quum reddidisset Laronius, cursu fontem occuparunt; ubi multi, quamquam moniti a ducibus, ne copiosius potarent, inter bibendum mortui sunt. Sic ex insperato Cornificius cum superstite exercitus parte Mylas et ad Agrippam evasit incolumis².

¹) Vd. supra pag. 112. ²) App. V, 113 sqq., Dio XLIX, 6; 7, qui pulchre hoc iter depinxit. Vell. II, 79. In gratiam servatorum ab illo militum L. Cornificio sequenti anno U. c. 719, Octavianus consulatum obtulit, ei que permisit, ut Romae, quoties foris coenaret, elephanto domum reveheretur, Dio Cass. XLIX, 7; 18; 33. Singulare hoc ab Augusto beneficium, nam alioquin elephas usque ad Aureliani fere tempora Caesaris armentum nulli servire paratum privato, ut ait Iuvenal. XII; 106.

Hic enim interea Tyndaridem tandem ceperat, ciba-
riis locupletem et ad bellum maritimum opportunissi-
mam. In quam deinceps Octavianus pedites et equites
traiecit, quorum iam habuit in Sicilia unam et viginti
legiones, equitum viginti millia, levis armaturae plures
quinque millia. Mylas autem et inde usque ad Naulo-
chum et Pelorum loca omnia omnemque oram mariti-
mam Pompeius tenebat praesidiis¹, quae maxime ut
Agrippam absterrent, continuos ignes alebant, quasi
ut naves quae appellerentur accenderent. Utrasque quo-
que fauces occupaverat Pompeius, et tam prope Tauro-
menium quam circa Mylas calles montanos muris inter-
cluserat. Octavianum deinde Tyndaride ulterius pro-
gredientem lacessivit, abstinentem a proelio. Quum
vero Agrippam ad promontorium Pelorum appulsurum
audivisset, eo transeurrit, faucibus Mylensibus desertis,
quas mox Octavianus, et Mylas quoque ipsas Artemi-
siumque, perexiguum oppidulum cum templo Dianae
Fascellinae², occupavit. Huc igitur tandem pervene-
rat Cornificius.

Sic igitur Pompeius, etiamsi primum Octaviani elu-
serat consilium Siciliae undique aggrediendae, vel sic
tamen semper defendendo non multum profecit, viri-
busque huc illuc divisis, infirmiore se reddidit. Prae-
terea Octavianus legionibus maxime valebat, quibus
ille classem tantum opponere poterat, quae tamen,
quominus Aeolicas insulas, Siciliae propugnacula,
amitteret, impedire non potuerat.

¹) Naulochus hod. Casale; Pelorum hod. Capo di Faro. De his locis
vđ. Cluver. Sic. ant. pag. 304, 306 et 387. ²) App. V, 116; Dio
XLIX, 8; Sitt. Ital. XIV, 261; Serv. ad Virg. Aen. II, 116; Cluver.
Sic. ant. pag. 304 sq. *Dianium* vocat Freinsh. I, 129, c. 20.

Postquam autem opinio de Agrippae adventu vana comperta est, Pompeius, amissas fauces dolens¹, Gallum Tisienum cum exercitu accivit, qui in occidentali insulae parte contra Lepidum vix ullo progressu rem gesserat². Cui obviam profectus Octavianus a via aberravit³, sed tandem post saevissimam noctem Lepido obviam factus est, qui, post Galli Tisieni discessum ad Octavianum tendens, frumenta tum forte colligebat circa Messanam, ubi ambo deinde castra locarunt⁴. Iam hoc tempore inter Octavianum et Lepidum oborta fuisse discidia veri simile est; hic enim, ut par erat, aequato imperio omnia administrare, ille vero Lepido pro legato in omnibus uti voluit; uterque sibimet ipsi Siciliae imperium vindicare cogitabat⁵.

Quum autem per totam Siciliam leves tantum equitum et velitum pugnae fierent, nullumque memorabile proelium committeretur, Octavianus Statilium Taurum misit, qui comneatum Pompeio praecideret, eique praeriperet imprimis urbes eas, quae sumtus illi praebebant. Itaque alimentorum et pecuniae inopia coactus Pompeius, maiori proelio de summa rerum decernere statuit. Verum quum navibus suis confidens, terrestres Octaviani copias timeret, mari quam terra certare maluit. Quum vero ille, nisi omnibus navalibus copiis exutus esset Pompeius, superiorem se omnino fieri non posse intelligeret, ad navale proelium utique

1) Fortasse in Appiani textu, V, 117, pro *ἡσθηεῖς* legendum est *ἀχθησθηεῖς*. 2) App. V, 104; 117. Dio XLIX, 8. 3) Circa Myconium montem, App. l. l., sed vd. annot. ad pag. 110. Die autem sequenti Abacaenorum agrum vastans, Lepido obvius fit, de quibus vd. Cluv. Sic. ant. p. 387. 4) App. l. l. 5) Dio XLIX, 8. Zon. X, 25.

transeundum fuit¹. Quamquam ipse abhorrebat ab omnibus rebus maritimis, quas ad eum diem non adeo feliciter tentaverat, nihilo secius in Agrippa egregio, ut in proelio Mylensi apparuerat, duce, in eiusque navibus fiduciam posuit; atque rem componere cupiebat eo magis, quum, Lepidi mentem cognitam habens, metueret, ne hic consilia cum Sexto agitaret, quod eum iam fecisse Dio Cassius testatur².

Trecentae igitur utrimque naves, a. d. III Non. Sept. anni U. c. 718 prope Naulochum, urbem inter Mylas et Pelorum, telis omnigenis, turribus, machinis, quotquot excogitari potuerant, instructae, proelium commiserunt, ducibus Demochare et Apollophane et ab altera parte M. Vipsanio Agrippa. Primum fuit remigum contentio non sine clamore; mox missilibus, partim manu, partim machinis coniectis, saxis, sagittis ignitisque iaculis certatum est. Deinde vero naves ipsae conflixerunt inter se, ictus inferentes et accipientes, modo in latera, modo in proras, modo in ipsa rostra, qui ictus et nautas concutiebant et naves reddebant infirmiores. Aliae autem per alias perrumpebant, sagittas simul aliaque missilia in naves coniicientes, dum actuariarum prolapsos in mare colligebant. Contentio militum aequae ac nautarum gubernatorumque vehemens fuit, ducibus cohortantibus machinisque omnibus ad-

1) Secundum Appianum ab utroque praestitutus esset dies, quo pugnarent, quod minus verum videtur; cf. supra pag. 23 sq.; Drum. IV, p. 584.

2) Solus Dio, l. l. vd. supra pag. 22 sq. 3) Calend. Amitern. in Verr. Flacc. Fast. ed. Foggin. p. 113; ubi perperam Consules anni 715 U. c. nominantur; Drumann. IV, 584. Appianus solus numerum utrarumque navium dedit. Florus Sextum 350 navium omnium fuisse tradidit, IV, 8.

hibitis. Imprimis harpago probabatur, tignum quincubitale, ferro munitum, in utraque extremitate habens annulum, in quorum altero ipse haerebat harpago, uncus ferreus; in altero multae restes, quae machinis retrahebant harpagonem, catapulta in hostilem navem immissum¹. E longinquo igitur propter levitatem in naves involans iisque inhaerens, praesertim quum retraheretur restibus, praecidi ab adversariis propter cingens ferrum non poterat, neque attingi restes facile poterant propter asseris longitudinem, et, quoniam huius machinae usus inexpectatus Pompeianis erat, falces hastis non affixerant. Id unum tantum cogitarunt, ut in re improvisa navem vi remorum retraherent; sed quum eodem quoque moveretur adversaria navis, idem utrisque conantibus, harpago interea vim suam exerebat. Quoties igitur naves sibi appropinquassent, variis modis pugnabatur, et in adversarias transsiliebatur. Nec iam facile erat hostem ab amico discernere; armis enim, maiore ex parte, iisdem utebantur, lingua fere omnes Latina, et sic permixti alterorum tesseras cum alteris commutaverunt, unde utrisque magna et multiplex doli nascebatur occasio; neque enim tesseris credere, neque suos ab hostibus amplius dignoscere poterant; mare sanguine mixtum, armis et naufragiis tectum erat; nihil intentatum reliquerunt, praeter ig-

1) Harpagones et ferreae manus non idem fuerunt, quamvis eiusdem generis sint et saepe confundantur a scriptoribus. Hae fere attrahendis et colligendis navibus inserviebant, similes fere iis machinis, quae a nostratibus nautis enterdreggen appellantur. Cf. Liv. XXVI, 39; App. V, 82; Flor. II, 2; Curt. IV, 2, § 4 ibique Freinshem.; Dio XLIX, 3, ibiq. Fabric. L, 32; 34; 35. Stewech. ad Veget. III, 44, pag. 360, et Scheffer de mil. nav. II; 7. pag. m. 910 et III, 6, pag. 978.

nem, quo propter mutuum periculum post primum concursum abstinuerunt. Uterque autem terrestris exercitus cum Caesare Octaviano et Sexto Pompeio non sine metu et studio e litore spectabat navale certamen, quo de sua quoque salute agi existimabat. Nihil tamen distinguere, quamvis intentis oculis, poterant, quandoquidem sexcentarum navium longissime extensus ordo erat et nunc hac, nunc alia navium parte eiulatus audiebatur. Vix tandem e turrium coloribus, quod solum discrimen erat navium, plures Pompeii naves periisse intelligens Agrippa, cohortatus est proximos, quasi iam victores, et redintegrato impetu, urguere non desiiit¹, donec qui ipsi propiores aderant, cedere coacti, turribus deiectis, naves verterint et fretum versus fugerint. Nec tamen plures quam septendecim eo se recipere potuerunt, reliquae ab Agrippa seclusae et cohibitae sunt, quarum nonnullae prae impetu cum ipsis insectantibus litore impactae, aliae a litore retractae, aliae incensae sunt. Quod videntes Apollophanes² caeteraque, quae in alto adhuc certabant, naves, sic a terrestribus copiis divulsae, deditionem fecerunt. Demochares captus se ipse interfecit³. Simulatque igitur navalis Octaviani exercitus victoriam conclamavit, terrestris exercitus laetum clamorem, Pompeiani vero ululatum sustulerunt. Ipse autem Sextus Naulocho Messanam se proripuit, adeo perculsus, ut de terrestri exercitu ne

¹) Agrippa partem classis ad extremum servare, eamque integram idoneo temporis momento in aliam hostium impetum facere iubere fortasse quidem potuit; id tamen, quum e scriptoribus non liqueat, cum Drumanno, V. Cl., IV, 585, ponere non ausim. ²) Perperam Zonaras, X, 25, Apollodorum appellat. ³) Dio XLIX, 10.

ulla quidem mandata reliquerit. Has igitur equestres et fere omnes pedestres copias cum Gallo Tisieno se dedentes Octavianus in fidem recepit. In eo proelio tres Octaviani naves demersae esse feruntur, Pompeii octo et viginti, caeterae aut captae, aut crematae, aut litori illisae et fractae sunt; solae septendecim effugerunt¹.

Pompeius autem, postquam in via cognovit de defectione exercitus, imperatorium vestitum mutavit cum privato² et praemisit Messanam, qui opus et pretiosissima quaeque in navibus superstitibus, quae maxime agiles essent, imponerent; iam dudum autem omnia erant apparatus. Simul Plennium Lilybaeo cum una quam habebat legione propere accire iussit, quasi fugae comites hos secum sumturus. Qui quidem statim ad eum festinavit, septem e castris apud Naulochum legionibus sibi adiunctis³. Pompeius vero, cum aliis, tum amicis, praesidiis, exercitibus ad victorem descendentibus, hostibusque intra fretum navigantibus, ne Plennium quidem in urbe quamvis egregie munita exspectans, filia⁴, amicis, pecunia, caeterisque pretiosis in navibus septendecim illis impositis, noctu Messana abiit, Orientem versus, ad Antonium profugiens, cuius olim matrem Iuliam in simili servaverat periculo⁵. Plennius autem mox post eius discessum Messanam per-

1) App. V. 121; Dio XLIX. 10; Zon. X. 25; Liv. 129; Vell. Pat. II, 79; (A. Victor) de Viris ill. 84; 79; Flor. IV, 8; Oros. VI, 18, qui 163 naves demersas aut captas fuisse tradidit. Tac. Ann. I, 2.

2) Cf. sup. pag. 25. 3) Cf. sup. pag. 25 et 26. 4) Vd. ann. ad p. 73. 5) Non alia post Xerxem miserabilior fuga. Talia Florus IV, 8, 5.

veniens, eam urbem occupavit. Ad quam obsidendam, in castris ad Naulochum ipse remanens, Octavianus misit Agrippam, qui una cum Lepido illud parageret. Plennio vero legatos de pace mittente, Agrippa ad matutinum tempus, donec Octavianus advenisset, expectandum esse censuit, Lepidus tamen suo iure pacem dedit, atque ut Plennii milites sibi conciliaret, iis urbem cum suis ex aequo diripiendam concessit. Qui praeter salutem, quam solam precati erant, lucrum insperatum nacti, translatis ad Lepidum signis, Messanam totam noctem cum Lepidi militibus diripuerunt.

Sextum igitur Messana aufugientem Octavianus neque ipse persecutus est, neque alios persequi sivit, sive quod timendus amplius non esset, et satis victum eum existimaret, sive quod ad Antonium eum confugisse cognovisset et futura expectare mallet, ut iustam discidii causam haberet, si quid ille praeter aequum fecisset. Quidquid est, Lepidi conaminibus, qui, superbiens viginti legionum fiducia, deinde sibi soli Siciliam vindicare studuit, maximopere etiam impeditus fuit; hic tamen mox, Octaviano prudentia et consiliis impar, deficiente toto exercitu, ab omnibus desertus, supplex ad adversarium accessit et destitutus est omni potestate, vita tantum concessa¹.

Octavianus ita viribus auctus ingenuos legionarios milites suis legionibus adscripsit, suosque praemiis donavit ob victoriam. Equites et Senatores, qui Pompeio favissent, supplicio affecit, paucis exceptis; urbibus,

¹) App. V, 127. Dio XLIX, 11; 17. Strabo, III, 141; VI, 259; 268. Liv. 129. Vell., Flor., Suet., Oros., II. cc. Seneca quaest. nat. IV, praef. fin.

quae ultro deditionem fecerant, venia data est; in eas, quae restiterant, animadversum est¹.

Siciliae autem deinde imposuit tributum mille et sexcentorum talentorum, designavitque Propraetores Africae, quam utramque veterem et novam sine negotio receperat Statilius Taurus², itemque Siciliae, cuique harum provinciarum exercitu distributo. Naves Antonii Tarentum misit. Reliquum exercitum partim praemisit in Italiam, partim ipse secum duxit decedens ex insula. Idibus autem Novembribus anni U. c. 718. ovans Urbem ingressus est, et, ut in posterum tributariae potestatis esset, a Senatu decretum est³.

Pompeio igitur fugato Lepidoque in ordinem coacto, tota occidentalis imperii Romani pars Octaviano annos duodetriginta nato paruit, nec iam intelligentibus obscurum erat, mox eum de altera quoque parte cum Antonio decertaturum esse.

Immodici honores a Senatu populoque Romano ipsi oblatis sunt, quorum praeter ovationem accepit etiam supplicationem perennem diebus victoriae. Servos fu-

1) Inter alios honores legatis suis exhibitos, Agrippae aureae coronae rostratae honos contigit, quod ante nec post eum contigit nemini, et deinde Senatusconsulto statutum, ut quoties triumphans aliquis lauream coronam ferret, toties ille navali hac uteretur. Seditionem militum suorum, praemia paria Philippensi proelio victoribus petentium, minis, pollicitationibus, coronis aliisque honoribus et tandem quingentis denariis singulis datis, dignissimisque eorum exauctoratis, repressit.

2) Dio I. I. 14. Africa vetus proconsularis provincia erat, post bellum Punicum tertium Carthagini adempta; Africa nova erat Numidia, vd. Dio XLVIII, 10, ibiq. interpp. 3) Oros. VI, 18. In fastis triumphalibus et in inscriptione ap. Parat. p. m. 890: IMP. CAESAR. DIVI. F. C. N. II. III. VIR. R. P. C. II. OVANS AN. DCCXVII (sec. Caton.) EX SICILIA IDIBUS NOVEMBER, Vd. quoque Suet. Aug. 22.

gitivos, militiae adscriptos, quibus, poscente Pompeio foedere Misenico, Senatus libertatem concesserat, dominis vel eorum haeredibus restituit, tam Siculis et Italicis quam Romanis; quorum autem domini non inveniabantur, ii in ipsis oppidis, unde singuli aufugerant, in crucem acti sunt.

CAPUT V.

A SEXTI POMPEII FUGA E SICILIA AD EIUS MORTEM.

AB ANNO U. C. 718 AD ANNUM U. C. 719.

Sextus igitur Pompeius post navalem pugnam noctu Messana ad Antonium profugiens, insectationem metuens suosque comites proditionis suspectos habens, cum se per altum vela daturum dixisset, tamen extincto igne, quo naves praetoriae, ut subsequi certius possint, reliquis praelucere solent, annulisque in mare abiectis ¹, oram Italiae legit, primumque ad Lacinium promontorium ², proxime Crotonem, appulit,

¹) Hos annulos Rupertus interpretatur compedes remigum, quas abiici iusserit Pompeius maioris strepitus vitandi causa, vel ut libertate remigibus data, eos sibi feliiores redderet. Anna digitorum annulos putat, quod a Dukero aliisque sic accipi posse probatur, ut Pompeius, abiectis reliquis insignibus, ad extremum etiam annulos, quos qui alia omiserant, ultimos servabant, abiecerit, ne ex iis agnosceretur, quod nonnullis accidisse narrat Kirchmann, de Ann. c. 25. vd. Duker. ad Flor. IV. 8. Nisi forte mendum subest Flori verbis; solus enim haec memoriae tradidit; utique non nimis illi confidendam. ²) Capo delle Colonne. Vd. quoque de fano Iunonis Cluver. 1. l. 1310.

ibique fanum Iunonis, votivis donariis abundans, spoliavit. Hinc ad Corcyram, deinde ad Cephaleniam, nobiles Adriatici et Ionici maris insulas, vectus est; in hac autem suorum nonnullos vento illuc delatos invenit, quibus convocatis, suasit, ut seorsum quisque suae ipsius saluti consuleret; si enim coniuncti manerent, non satis mutuo sibi prodesse, neque latere possent; sin dissipati huc illuc essent, facilius subterfugituros. Itaque alii alio discesserunt; ipse in Lesbum se contulit, ubi Mitylenes aliquantisper degit. Haec insula puerum quondam cum matre acceperat, dum pater cum Iulio Caesare bellum gerebat¹ et nunc quoque fugacem atque extorrem libentissime excepit. In ea urbe igitur, quum de discidio inter Octavianum et Lepidum, deque Antonii adversus Medos et Parthos in Mediam expeditione certior factus esset, hibernare statuit, Antonii reversi in fidem se committere cogitans. Hunc vero quum victum audivisset, idque fama constans iterum iterumque referret, rursus spem concepit, se aut in Antonii, si perisset, universam potentiam, aut saltem in partem, si salvus redisset, receptum iri, memor T. Atii Labieni, qui ante aliquot annos, post pugnam Pharsalicam, Asiam incursaverat. His consiliis occupato, nuntiatur Antonium Alexandriam rediisse, quo facto ad utrumque viam sibi parans, per legationem se illi offerebat, specie tanquam amicum et socium, revera tamen ut Antonii res exploratas haberet, et eodem tempore ad Thraciae Pontique dynastas clam alios legatos misit, ut, si ab Antonio, quae cuperet, non

1) Vd. snp. pag. 36.

impetrasset, per Pontum in Armeniam fugeret. Quin etiam ad Parthos misit, sperans, fore, ut in reliquo adversus Antonium bello, libenter ipso duce uterentur, non solum Romano sed etiam Magni Pompeii filio¹. Simul naves refecit sociosque navales exercuit, modo se Caesarem metuere, modo parari ea in usum Antonii simulans, et quum e Sicilia et aliunde multi ad eum venissent, partim paternae gloriae opinione, partim victus inopia adacti, habitum re-sumpsit imperatorium, et ad occupandam continentem oppositam sese accinxit.

Antonius autem, ubi audivit de Pompeii adventu, ducem adversus eum designavit M. Titium, cui quondam a Mena in Gallia Narbonensi capto, patris gratia, qui a Triumviris proscriptus, tum in Sicilia apud eum degebat, Pompeius pepercerat². Huic igitur Antonius mandavit, ut, classe et exercitu e Syria a L. Munatio Planco, Syriae praefecto, accepto, Pompeium, si bellum moliretur, vi reprimeret; sin vero in fidem recipi mallet, honorifice eum adduceret. Haud multo post Sexti legati advenerunt, qui societatem et ami-

1) Paulo aliter rem exposuit Dio XLIX, 18, Antonium scilicet in itinere in Aegyptum, actis Pompeii cognitis, veniam atque amicitiam, si ab armis discessisset, promississe; hunc se facturum rescripsisse quidem, revera tamen, Antonio, propter acceptam calamitatem, et quod statim in Aegyptum abiret, contempto, perrexisse in instituto, et cum Parthis de societate per internuntios egisse, quo cognito, M. Titium cum classe ad eum missum esse.

2) Respectu patris, ut dictum est, et quod nomen S. Pompeii eius milites in scutis ferebant, veniam ei dederat; de quo more vd. Stewech. ad Vegetii II, 18. et Lipsius in analectis ad lib. III. de milit. Rom. dial. 2. Cf. Fabric. ad Dion. XLII, 15. Deinde ad Antonium desciverat, a quo magnis honoribus et beneficiis affectus, tandem defecit ad Augustum. Dio XLVIII, 30. L. 3; 13.

citiam offerebant, dicentes, Pompeium illud consilium iamdudum cepisse, eique antea iam significasse, Iulia, matre Antonii servata, et remissa³. Quod si ille admisisset, nec Pompeium e Sicilia eiectum fuisse; non enim classem contra eum Octaviano praebuisset; neque ipsum a Parthis victum, Octaviano exercitum e foedere non mittente, qui iam Pompeio sine causa bellum intulisset, Lepidumque portione sua spoliavisset. Solum nunc Antonium Octaviani libidini obstare, tantum hactenus obstitisse Pompeium. Quare in Antonii, benevoli et magnanimi viri fidem se committebat, cum navibus et cum fidissimo exercitu, qui ne fugientem quidem deseruerat; servatum Magni filium in pace egregiae laudi, in bello non aspernandae partium accessioni ipsi fore.

Antonius, his auditis, cum legatis, quae Titio dederat mandata, communicavit, responditque, si ex animo haec obtulisset Pompeius, venturum ipsum deducente M. Titio.

Haec autem dum aguntur, qui a Pompeio ad Parthos fuerant missi, comprehensi ab Antonii ducibus, Alexandriam perducuntur. E quibus postquam singula cognoverat Antonius, legatis Pompeii accitis, captos iis ostendit. Hi excusarunt hominem iuvenem, in extrema calamitate versantem, et, veritum ne repulsam ab Antonio ferret, coactum, vel infensissimarum populi Romani gentium tentare animos; cuius, si benevolam Antonii mentem compertam haberet, statim etiam animum cognitum iri, neque ullis aliis sollicitationibus artibusve porro esse usurum. His fidem habuit An-

3) Vd. supra pag. 67.

tonius, vir et minime malitiosus, et ingenio simplex ac magnanimus.

Interea C. Furnius, ab Antonio Asiae praefectus¹, neque ad eum arcendum satis validus, necdum Antonii sententiam compertam habens, Pompeium, pacate venientem, exceperat; postquam vero exerceri eius exercitum vidit, delectum habuit e provincialibus, et Cn. Domitium Ahenobarbum, ducem vicini exercitus² et Amyntam regem³ alia ea parte propere accessivit. Qui cum celeriter convenissent, Pompeius conquestus est, hostem se haberi, qui legatos ad Antonium missos exspectaret. Attamen per idem tempus Cn. Ahenobarbum captivumprehendere cogitavit, prodente huius familiari Curio, magni Ahenobarbum fore momenti ratus, si postea fieret permutatio. Sed prodicione detecta, Curius, Romanis, qui ibi aderant, praesentibus convictus, subiit supplicium. Pompeius quoque Theodorum libertum, solum eius consilii participem, quasi id effutiisset, interfecit. Quum tamen Furnium cum suis amplius se fallere non posse intellexeret, Lampsacum, ad Hellespontem, per prodicionem occupavit, a multis habitatam Italis, a C. Iulio Caesare quondam in coloniam deductis, quos mox magnis stipendiis ad militiam pelliciebat. Iamque ducentis equitibus et tribus peditum legionibus instructus, Cyzicum, clarissimam ad Propontidem urbem, terra marique aggressus est. Sed utrimque repulsus

1) Haud ignobilis iam fuerat L. Antonii in bello Mutinensi legatus; App. V. 30. Cic. ad fam. X, 22; 26; XI, 15. 2) Cn. Domitius Ahenobarbus Antonii fuerat comes in bello Parthico. Vd. omnino de eo Drumann. Gesch. Roms. etc. III. p. 24 sqq. 3) Vd. de hoc quoque Drumann. I. p. 464.

est. Erat enim ibi Antonianorum militum manus, gladiatores, qui ibi alebantur, custodiens. Itaque inde ad Achaeorum Portum, in Troadem reversus ibique frumentatus est. Sed quum Furnius cum multis equitibus semper castra castris admoveret, non frumentari, neque oppida sollicitare eum sinens, et tamen ab omni pugnae commissione abstinens, Pompeius, equitum paucitate laborans, castra Furnii a fronte adortus est, clam, qui a tergo idem facerent, circummissis; quo facto ad Pompeium ille se vertens a tergo captis castris eiectus est. Multi milites per Scamandri campos fugientes occisi sunt; madebat enim campus imbribus; qui autem evaserunt, instaurando proelio impares, in tutum se receperunt. Hi, dum supplementum e Mysia, Propontide, et ex aliis locis expectant, egeni illarum regionum incolae, exactionibus exhausti, libenter mercede conducti sub Pompeio militabant, praesertim postquam fama victoriae, ad Achaeorum Portum reportatae, ad eos venerat. Quum tamen continenter ab hostili equitatu in pabulationibus vexaretur, praemonitus, alam equitum Italicorum, missam ab Octavia Athenis hiemante, ad Antonium iter facere, extemplo misit, qui auro eos corrumperent. Sed Propraetor, Macedoniae ab Antonio praefectus, iis comprehensis, aurum equitibus distribuit. Pompeius deinde Nicaea et Nicomedia occupatis, ingentem pecuniae vim collegit, in omnibus magnis et insperatis successibus usus. Caeterum Furnio, non longe ab eo castra quoque habenti, ineunte vere, advenerunt e Sicilia septuaginta naves, quae ex iis, quas Antonius Octaviano in usum contra Pompeium dederat, supererant et finito bello Siculo ab hoc dimissae

fuertant ¹. Advenit deinde etiam e Syria M. Titius cum aliis centum et viginti navibus, et magno cum exercitu, ad Proconnesum Propontidis insulam appellens, qua re pavore percussus Pompeius, naves, apparatu graviore in eas coniecto, accendit, et renniges armavit, quippe cum caeteris in terra maiori usui futuros. At Cassius Parmensis ², Q. Nasidius ³, C. Sentius Saturninus ⁴, Q. Minucius Thermus ⁵, Antistius Labeo ⁶,

1) Vid. sup. pag. 122. Haec App. V, 139. Dio vero, XLIX, 14, Antonio pro amissis parem ei quem miserat navium numerum remissum fuisse tradit. Hic quoque Appiano postponendus.

2) Huius vitam exposuit Drumann, Gesch. Roms, II, p. 161; cf. omnino Weichert de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus, Grimae 1836, impr. p. 246 seqq. Elegiarum, epigrammatum et tragoediarum fuit poeta, vd. Hor. epist. I, 4, 3. ibique Acron et Porph. Unus ex interfectoibus Iulii Caesaris post proelium Philippense, (cui tamen non interfuit, nam praesidii causa in Asia manserat), ad Pompeium confugerat; App. V, 2. vd. sup. pag. 65. Postea, anno U. c. 719, Antonii legatus factus, post pugnam Actiacam Athenas abiit, ubi Octaviani iussu anno U. c. 723. a Q. Varo interfectus est; Vell. II, 87; Val. Max. I, 7, § 7; Acron ad Hor. l. l.; Serv. ad Virg. Ecl. IX, 35; Oros. VI, 19.

3) Appianus V, 139, pro more suo praenomina et huius quoque Nasidii omisit, quem *Lucium* Nasidium putavit Drumann. IV, 588. Equidem vero cum Vaillant. (num. fam. Rom. in gente Nasidia) de *Quinto* Nasidio cogitare malim, quem numi praefectum aliquando Sex. Pompeii classis fuisse arguunt, quamquam a scriptoribus nulla huiusce rei mentio fiat. Hic Quintus L. Nasidii, Cn. Pompeii a. U. 705 in bello cum Caesare legati, filius videtur. 4) Vid. quae de hoc diximus pag. 8 et 67. Quomodo se Consulem gesserit a. U. 735 vd. ap. Vell. II, 92 et Dion. LIV, 10. Anno U. 759 de Germanis triumphavit; Dio LV, 28; Vell. II, 105; 109 et 110. 5) Etiam hic anno 705 Cn. Pomp. M. legatus fuerat. Anno U. 711 legatus cum L. Paulo et C. Fannio Massiliam ad Sextum Pomp. missus est. Vd. Cic. Phil. XIII, 6; Caes. d. B. C. I, 12; Flor. IV, 2 § 19; Lucan. II, 463; cf. Cic. ad Att. VII, 13, b; 23; ad Fam. VIII, 12; Orell. on. Tull. h. v.

6) De Antistio Labeone vd. Drumann. I, p. 57 § 16.

quique dignissimi adhuc illi aderant et nobilissimus illorum C. Fannius¹; ipse denique L. Scribonius Libo, Sexti socer², quum viderent, eum ne post adventum quidem Titii, cui tota res commissa esset, cum potentiore bellum gerere desinentem, desperare de eo coeperunt, et, sibi ipsis fidem pacti, ad Antonium transierunt. Tum Pompeius amicis destitutus, clam noctu castris egressus; in mediterranea Bithyniae loca secessit, petens, ut ferebatur, Armeniam. Sed eum secuti sunt Furnius et Titius cumque iis Amyntas rex, ut iter ei praeciderent trans Euphratem, et peracto magna cum contentione itinere, circa vesperam eum assecuti, singuli seorsim castra posuerunt sub tumulo quodam sine fossa et vallo, quod vespera advenerat et itinere defessi erant. Hos in eo statu Pompeius cum tribus millibus peltastarum noctu invasit, multosque interfecit, cubantes adhuc aut prosilientes e cubilibus, reliquos plane nudos, fugavit. Sane tum Pompeius, si eadem nocte cum omnibus copiis eos invasisset, vel fugatos saltem persecutus fuisset, victoriam absolvere potuisset. Nunc vero hoc etiam, diis iratis, neglexit, nihil e tanto commodo lucratus, nisi quod rursus mediterranea petere perrexerit. Itaque illi rursus coniuncti sequebantur et frumentantem vexabant, donec tandem inopia laborans colloquium Furnii petiit patris quondam amici, dignitate et moribus prae reliquis excellentis.

Utroque igitur in ripa interlabentis fluvii stante, Pompeius dicebat, legatos se misisse ad Antonium et

1) De C. Fannio cf. Cic. XIII Phil. 6 et Orell. on. Tull. s. v.

2) De L. Scribonio Libone passim iam dictum est.

interea, cum nemo ipsi, quibus viveret, suppeditaret, talia ausum fuisse¹. Si autem ex Antonii sententia ipsum bello persequerentur, male eum sibi consulere, qui imminens bellum non prospiceret; sin vero iniussu Antonii id facerent, legatorum reditum expectarent, aut ipsum in fidem acceptum ad Antonium deducerent; nulli vero alii, quam Furnio sese commissurum esse. Quibus hic respondit oportuisse eum expectare Mitylenis, vel statim ab initio ad se accedere, neque nunc discordiam serere inter duces; non enim sibi, verum Titio rem mandatam fuisse, ut scilicet illum resistentem occideret, se dedentem honorifice ad Antonium duceret. At Titio infestus erat Pompeius, quippe ingrato, ut pote qui bellum contra ipsum gerendum suscepisset, cui captivo quendam veniam dedisset, et praeterea aegre ferebat, se, Sextum Pompeium Magnum, in M. Titii, non admodum nobilis hominis, potestatem venire, neque minus huius fidem suspectam habebat, sive e moribus coniecturam faciens, sive veteris cuiusdam iniuriae sibi conscius, qua eum ante illud beneficium affecisset; itaque iterum ut a Furnio acciperetur oravit, quod quum non impetraret, ut saltem ab Amynta acciperetur precatus est. Negante vero Furnio, Amyntam talem iniuriam Titio facturum, discesserunt. Arbitrabatur autem Furnius, et qui cum eo erant, fore ut Pompeius, inopia coactus, sequenti die se Titio dederet. Verum ille noctu, accensis castris ignibus et tubicinibus per consueta vigiliarum signa noctem distinguentibus, clam cum expeditis e castris se subduxit, ne ipsis quidem quo

¹) Sui temporis more Appianus loquentes eos inducit, V, 141.

ituri essent praemonitis. Cogitabat autem reverti ad mare et Titii classem incendere, quod fortasse etiam perfecisset, nisi M. Aemilius Scaurus, eius ex eadem matre frater¹, ab eo transfugiens, abitum eius atque ingressum iter patefecisset, quamvis ignarus propositi. Tum Amyntas eum equitatu carentem cum mille et quingentis equitibus persecutus est. Ad quem appropinquantem Pompeiani transierunt, pars occulta fuga, pars propalam. Itaque Pompeius paene solus relictus, et suos iam metuens, sine conditionibus Amyntae se dedit, qui Titii condiciones respuerat.

Titius deinde exercitum adegit ad sacramentum Antonii; ipsum autem Sextum Pompeium, annum aetatis agentem quadragesimum, Mileti interfecit anno U.c. 719, L. Cornificio, et alio quodam Sex. Pompeio Coss.²,

1) Mucia enim, Sexti mater, dimissa a Pompeio Magno, nupsit M. Aemilio Scauro. Horum igitur filius M. Aemilius Scaurus Sexti erat frater non germanus. Post pugnam Actiacam captus Muciae matris gratia vitam obtinuit. Vd. Ascon. Ped. in Scaur. arg. p. 19. ed. Orell. Dio LI, 2; LVI, 38.

2) *Mileti* App. l. 1. Strabo III. p. 141. Dio Cassius vero: »eum insecutes esse Titium et Furnium ait, *Midaii*, quod Phrygiae oppidum est, deprehenderunt, circumdatumque ceperunt vivum, (*ἐν τε Μιδασίῳ τῆς Φρυγίας κατέλαβον, καὶ περισχόντες ἐξώγησαν*). Quo cognito Antonius primum iratior per literas iis illico mandavit, ut eum interficerent; paulo tamen post poenitentia captus, salute eum donari iussit. Atqui quum tabellarius posterior priorem praevenisset, serius Titio eae literae sunt redditae, quibus necare Pompeium iubebatur, quasque vel scriptas omnino posterius esse ratus, vel cognita rei veritate, fidem iis tamen habere nolens, ordinem literarum, ut sibi redditae erant, non sententiam secutus est. »Ita, ait Dio, S. Pompeius morte affectus est, L. Cornificio et Sexto alio quodam Pompeio coss.» *Midaii* igitur captum, haud quidem eum ibi interfectum fuisse dicit Dio. Appiani de hac re narratio haec est: »Pompeium ex urbibus Nicaea et Nicomedia in interiora Bithyniae loca secessisse, Armeniam, ut ferebatur, petentem;» in quo itinere *Midaium* offendere debuit, certe potuit. Si igitur eum, quum

sive privato consilio, veteris offensionis memor, spreta secuti beneficii gratia, sive ex Antonii mandato. Verior tamen videtur narratio, quae inter alias nobis exposuit Appianus: non Antonium, verum L. Munatium Plancum, Syriae praefectum, id mandasse, cui nimirum commissum ab Antonio esset, ut in rebus nullam moram patientibus, Antonii nomen epistolis adscriberet, eiusque annulo signaret; ut ita tutius cum Cleopatra luxuriari posset. Sciente Antonio Plancum haec scripsisse nonnulli putant, quum ipse id facere vereretur, propter nomen Pompeii et propter Cleopatram, ei ob patris memoriam faventem; alii vero Plancum ipsum per se eadem haec reputantem egisse arbitrantur, sic caventem, ne Sextus et Cleopatra mutuum Antonii et Octaviani criminationem refricarent.

mediterranea peteret, ultra Midaïum pervenisse fingimus, eum, paullum retrogressum, in eo oppido captum fuisse non mirabimur. Quod, si satis argumentis probatum est, stat, quod Dio nobis de Midaïo tradidit, salvis tamen iis, quae Appianus et Strabo de Miletu retulerunt, quo Titius cum deducere potuerit. Cacterum si quid de horum narratione animadvertere liceat, Miletus satis longe a Midaïo Bithyniave distat. Itaque, nisi tanta eum in rebus geographicis, tum imprimis hac in re Strabonis esset auctoritas, utpote qui non diu post Sextum sub Imperatoribus Augusto et Tiberio vixerit, accedente Appiano, pro Miletu Midaïum, minus notum pro notissimo nominae substituere placuisset. De Vibio Sequestre hariolante Sextum nostrum ad Pachisum, Siciliae fluvium interfectum fuisse, non est, quod dicamus, pag. 74. vdd. ibi annot. a Fr. Hesselio. De his locis vd. Cellarius, Geogr. II. 3, c. 4 § 40.

IUDICIUM DE SEX. POMPEIO.

Sic igitur interfectus est Sextus Pompeius, unus adhuc reliquus Magni filius, qui tantas per decem annorum spatium inter Romanos egit partes, cuius varia fata et miserrima mors apud omnes fere aequales atque posteros misericordiam movit. Nec mirum: filius enim Magni Pompeii, viri exoptatissimi, permultum quondam in republica valentis, cuius tristissimus interitus tantum non omnibus moerorem iam iniecerat Romanis, una cum patre, omnibus, quae amitti possint, rebus spoliatus, diu cum adversariis luctatus, victor interdum et ad magnam potentiam adductus, mox hostibus succumbens, et huc illuc fugiens, sed a bello non desistens, tandem captus, miserrima morte interiit.

Ut autem recte de eo iudicetur, bipartito eius vitam distributam cogitare oportet, cuius altera pars continet tempus, antequam aufugerit cum patre, sive aetatem puerilem et iuvenilem, quam bellorum

expers Romae degit, id est, ad annum aetatis vicesimum sextum; altera pars continet reliquum vitae tempus, quod in bellis et proeliis contrivit.

Prioris illius aetatis monumenta et memoria tam exigua, et fontes ex quibus hauriamus tam pauci sunt, insuperque, quae de eo memoriae tradita sunt, tam longe differunt a caeterorum de eo testimoniis, qui sibi, tanquam unice memoratu dignam, posteriorem eius aetatem pertractandam sumserint, ut, non nisi cautissime iis fontibus utentes, analytice et comparando tantum procedere possimus.

Et revera de eius adolescentia paucissima a scriptoribus annotata sunt. Unus modo eorum nobis, quo anno natus fuerit, significavit, quod, caeteris silentibus, pro vero accipere opus fuit.

Natus est et adolevit inter ipsas turbas et tumultus, quae reipublicae finem antecesserunt et maturarunt. Neque ipsum communium huius temporis vitiorum expertem fuisse credere licet. Certe illorum semina affuisse, reliqua eius vita satis arguit.

Ut eo tempore omnes Romani, nobiliores certe, Graecis puerorum praeceptoribus, Graecorum quoque lingua et doctrinis utebantur, sic quoque nostrum Graecum habuisse praeceptorem legimus Aristodemum, haud ignobilem Ioniae rhetorem, qui quo tempore et quam diu Pompeii Magni filios grammaticam docuerit, non traditur. Unde literarum haud ignarum et linguarum, tam vernaculae quam Graecae, haud imperitum eum fuisse, praesertim cum ad annum vicesimum sextum Romae degerit, neque, ut Velleius Patereculus inconsulte dixit, *studiis rudem et sermone barbarum* eum fuisse, merito nobis statuere vide-

mur¹. Quamquam fortasse consuetudine cum rudibus et incultis hominibus peregrinarumque regionum hospitio deflexisse a vero cultu et sermone incorrupto Romano putandus est, vel sic tamen huius rei documentum frustra alibi quaesiveris.

Caeterum Ciceronis iudicium, quamvis non ab omni studio liberum, sed in Sexti favorem auctum, neque integrum, tum quia totus eo tempore Pompeianis partibus addictus erat, tum imprimis quia Sextum non nisi Romae, non nisi quietum, necdum rebus adversis afflictum cognoverat, vel hac ipsa causa vim acquirit aliquam, praesertim cum eum solum habeamus, qui de Sexti indole, priusquam patris fato et Cnaei ipsiusque calamitatibus exacerbatus fuisset, quantulacunque annotaverit. Laudat autem illum tanquam clarissimum adolescentem, in quo inerat pudor, gravitas, moderatio, integritas, quo civitati restituto maximum rei publicae

1) Quodsi literae Sexti, ad Consules a. U. 710 datae, ab ipsius manu sunt conscriptae, quod probari quidem non potest, iure tamen creditur; in quibus Cicero pauca tantum contra proprie loquendi rationem se invenisse easque satis graviter et non contumaciter scriptas fuisse profitetur; et si vera est Orellii tacite assumpta necdum argumentis probata et quasi omni dubio remota opinio, in epistola ad Att. XV. 7 de Sexto Pompeio mentionem fieri post Manutium non dubitantis, (vd. *Onom. Tull. s. v.*) in qua epistola valde Ciceroni placebat »quum sensus Sexti de re publica, tum scribendi cura,“ maius etiam pondus huic meae opinioni additur. Velleii autem patrocinio nisus, sic effatus est Niebuhrus (in opere: *Röm. Gesch. IV. Band, nach Niebuhrs Vorträgen bearbeit. v. Dr. L. Schmitz a. d. Engl. v. Dr. G. Zeisz. V. Liefer. pag. 153*): Es ist merkwürdig zu sehen, wie in dieser Zeit Männer, welche keine sehr gründliche Bildung erhalten hatten, sogar ihre eigene Sprache vernachlässigten und ein verdorbenes und barbarisches Kauderwalsch sprachen.

ornamentum additum erat ¹⁾. Nec nocet illi caeterorum scriptorum silentium; nihil boni, at nihil quoque mali de eo retulerunt, neque inter pravos et perditos illorum temporum homines nominatur. Ciceronis saltem loci declarant, iuvenem eum fuisse nec pravorum morum, nec malae inter cives existimationis. Quid, quod postea ad eum, in mari et in Sicilia morantem, venire non dubitarunt optimi et nobilissimi quique cives, qui eum iam antea Romae aut ipsum aut fama cognitum habere debuerunt. Appianus (IV, 85) eum appellat περιφιλήτων ἅπασιν ἐν τῷ τότε. Laudari quoque hinc meretur egregium eius factum et laudandum in rempublicam meritum, quo se duplum eius mercedis, quae in conscriptorum capitibus esset constituta, daturum esse servatoribus promisit, iisque, qui ad se confugissent, auxilium, pecuniam et honores gratificatus est. Et postea quoque foedere Misenico, tot illustribus viris patriae atque reipublicae restitutis, eximiam sibi laudem conscivit.

Eum ante patris mortem cuiquam bello affuisse et stipendia meruisse non legimus. Nam de Flori fabula, eum tanquam legatum in bello piratico cum fratre Adriaticum mare obsedissee, supra dictum est ²⁾.

Ultro autem ad bellum latus non est. Extorris enim una cum fratre patrem ulcisci et armis recuperare quae amiserant, conatus est; sed undique deiectus a victore, deinde solus ea repetere studens, initio victus gratia latrocinatus, sensim satis viribus auctus, urbes Hispaniae aliquot occupare coepit, et exercitu satis magno contracto, Caesaris legatis resistere potuit.

¹⁾ Phil. XIII, 4, 2; 5, 10. ²⁾ Pag. 34.

Etenim non omnia illi adimi potuerant; unum illi reliquum fuit, atque illud non mediocre: nomen. Patris imprimis recenti memoria factum est, ut in Hispania tam brevi viribus valuerit, et postea in Siciliam ingens proscriptorum et e patria eiectorum numerus ad eum confluerit.

Interfecto Caesare, etsi magna Hispaniae parte potitus et copiis et pecunia iam potens esset, tamen, quum, referente Antonio, revocaretur a Senatu, ei incolumem reditum et bonorum restitutionem pollicenti, imagine pacis inductus et ardens desiderio ad larem suum redeundi, lubens Lepidi propositum accepit. Verum diu quiescere ei non licuit; mox enim, quamvis S. C. ei maris et orae maritimae imperium oblatum fuisset, ab Octaviano tanquam patris percussor, insons, et indicta causa, absens damnatus et proscriptus est.

Quis igitur miretur, eum deceptum se sentientem, proscriptum, atque inter Caesaris interfectores habitum, iracundia fuisse motum et tot tantisque iniuriis exasperatum, maris oblato imperio, rebusque prosperis in Hispania novissimis elatum, a pristino pudore et gravitate remisisse, nec pepercisse famae, sed, copiis, quas sibi retinuerat, victu carentibus, tanquam piratam grassatum in mari, patris triumphum polluisse, oras Italiae maritimas infestasse, et tandem, nullo hoste obsistente, Siciliam invasisse.

Nulla tamen fuit Sexto bellica virtus et prudentia, nulla bellandi peritia et calliditas, nullum in hostibus adoriendis consilium, nulla victoriis utendi cura et solertia. Patris memoriae seu nomini, fortunae, suorum praestantiae et audaciae, hostium paucitati

reique navalis ignorantiae victorias suas suamque potentiam debuit. Quam tamen ipse ignavia sua et superbia, diffidentia et crudelitate rursus evertit et perfidus tandem perfidiae Titii succubuit. Nunquam magnum animo se praebuit, belligerans praedonum more; nam quae commisit proelia, praedonem magis, quam classis Imperatorem arguunt ¹. Non stando, verum circumeundo hostes superare studebat. Ad ultima adactus fortitudinis et audaciae specimina tantum dedit, unde fortasse eum *impetu strenuum* et *manu promptum* dixerit Velleius; *cogitatione celerem*, ut addit idem, eum interdum fuisse ex historia fortasse demonstraveris; ipsa tamen eadem historia ostendit, eum plerumque cogitatione vel tardissimum fuisse, cuius exempla innumera nobis praesto sunt.

Tumidus in rebus secundis, timidus in dubiis. Palam prodire et copias in aciem educere non ausus est. Sic Romam revocatus non rediit, verum adversarios metuens, Massiliam se contulit, inde, quae in Urbe fierent, speculaturus; ubi per legatos rogatus, ut Mutinam contra Antonium proficisceretur, noluit, quod vereretur veteranorum Iulii Caesaris animos offendere, qui contra ipsum quondam militaverant. Saepe pugnam detrectavit et e litore quasi de theatro suos conspexit certantes. Suae ipsius ignorantiae et inertiae sibi conscius, legatis suis iisque libertis, quasi magis fidis, plerumque classium imperium commisit, quos inferioris conditionis homines in consilium

¹) Ridiculum illud Flori: Magni famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius; nisi quod magnae indolis signum est: sperare semper!

adhibuit, quibusque praestantissimum et nobilissimum quemque postposuit, a se amovit, immo quidem tanquam sibi insidiantem interfecit, quum alium se maiorem haberi et fateri aegre ferret, *speciosis invidens*, ut *pareret humillimis*, ut ait Velleius. Recte etiam hic eum *fide patri dissimillimum* appellat; saepius enim illam violavit. Imperii cupiditati ut indulgere coepit, omnia posthabuit, eaque se prorsus duci passus est.

Ut in Hispania nomen Pompeianum, sic in Sicilia occupanda eum adjuverunt Romae discordiae civiles, Bruti et Cassii bellum instans, navium inopia et alia negotia, quae Octavianum impediverunt, quominus Siciliae succurrere posset. Sed de republica restituenda vel de aliis politicis rebus maioribus non cogitavit; illud maximum fuit consilium, ut, Siciliam praesidiis tenens, Italia interclusa et Urbe fame pressa, cogeret adversarios, ut se, in bona paterna restitutum, in partem imperii reciperent. Quod sibi foedere Misenico tandem acquisiturum esse putavit; sed spes eum fefellit, iterumque ab Octaviano et Antonio deceptus est. Iulii Caesaris filius cum Cn. Pompeii filio in gratiam redire non poterat.

Innumerarum adversariorum virium frangendarum, optimasque Romam redeundi occasiones neglexit. Revocatus enim a Senatu, non Romae ipse partium reliquias haud parvas collegit, sed segnis Massiliae manere maluit, Antonii nimirum mentem suspectam habens, qui utique diu eius praesentiam passus non fuisset; nam eo consilio, ut revocaretur, effecerat, ut sic, quominus cum Octaviano vel cum Senatu sese coniungeret, prohiberet. Quod autem, Antonio ad Mutinam fugato,

S. C. illi maris imperium honorifice sane commissum sit, aequè fuit Senatus commentum, quo contra Octaviani nimis in republica crescentem auctoritatem opponeretur; nec tamen, etsi maximopere hoc S. C. gloriatus est, quidquam auctoritatis illi addidit; brevi enim post ab Octaviano ei ablatum est. Deinde anno proximo, tota Sicilia imperio subiecta, et undique opibus et proscriptis ad eum affluentibus, nihilominus Octavianum penitus instantibus negotiis distentum, et classis inopem, aggressus non est, sed latronum more oras maritimas infestare contentus fuit, nec maiora tentare ausus est, donec tandem Octavianus, fabricatis navibus, consilium copiarum in Siciliam traiciendarum perficere potuerit. Cuius tamen milites et socii navales quum navigandi insueti essent, facile et non sine damno a Pompeianis reiecti sunt. Sed amplius nihil ex hac victoria sibi acquisivit, quam ut Neptuni filium se diceret, neque plura e Mutinensi expeditione, nec deinde e Macedonica Bruti et Cassii clade lucratus est, quam ut, profugorum et navium numerum ingentem ad se recipiens, eodem modo agere perrexerit. Tanta autem, ut erat, copiarum vi exstructus, si tum Italiam invasisset, fame et discordia afflictam, ipsi faventem, facile ea potiturus fuisset. Ut adversarium expelleret, in eius fines irrumpere, letalia illi vulnera inferre, se ipsum tanquam reipublicae fautorem et liberatorem, qui cum Caesarianis, monarchiae haeredibus, in gratiam nunquam rediret, civibus se obicere debuisset. Verum omnia neglexit, sua defendere quam aliena invadere maluit, contentus se tanquam in urbe munire, unde eruptionibus factis, hostem lacessivit quidem, impedivit et ad in-

ducias petendas adduxit; ut vero protinus ab obsidione abstineret, et foedus iceret firmum atque stabile, adigere non potuit. Sibi soli, non reipublicae pugnabat. Ipsi tamen Octavianus tanquam obsessus in Italia videbatur, quem, classe circumdatum et a comiteatu interclusum, fame tandem ad expiationem et ad vota sua explenda adducturum se cupiebat. Sed vel sic etiam ingentia huic subsidia supererant; Italia enim non sola, verum totus fere terrarum orbis, modo cum Antonio coniunctus maneret, legiones, pecunias, aliaque belli praesidia contra Sexti quantamcunque classem suppeditabat. Perseverantia et astutia sua Octavianus lignea ista moenia eversurum se sperabat, et quidem tandem voti compos factus est ipsa Sexti segnitie et superbia, qui ad maiores res agendas ipse non aptus, ita aptissimum quemque removit. Quin et sequenti anno 713 U. c. dissidentibus Octaviano et Antonio, multisque Romanis ab eo salutem expectantibus, Antonium, perinde ac si profiteretur sibi satis ingenii non esse, ad societatem allicere conatus est. Sed Fulviae morte pax inter eos restituta est. Quo facto quum populus finem malorum advenisse ratus, sed spe frustratus, non occultis sive clandestinis querelis, sed palam conclamando et tumultuando ad Pompeium inclinare coepisset, flagitationes illas de pace denuo omisit, neque aurae populi captandae operam dedit, donec tandem omnium adhortatione ad pacem componendam et quasi conditiones dandas ductus, sibi bonorum restitutionem et imperii partem, reliquis honorificum in patriam reditum pactus, Octaviani astutia denuo se decipi passus sit. Prorsus enim nihil hac pace sibi lucratus est. Itaque ad veterem suum defendendi et,

quamvis ingenti classe pollens, Italiae navibus vexandae consuetudinem rediit Octavianumque provocavit. Cuius classes quum anno 716 U. c. et a suis et imprimis tempestate inaudita aegerrime afflictae essent, tutas tamen abire sivit. Neque magis, quod eodem anno iterum tempestate maior hostilium navium numerus scopulis illis perierit, ei profuit, sed nunc revera Neptuni filium se credidit, Octaviani continuo viribus vires addentis et damna reparantis curam non habens, tam elatus animo, ut se vinci non posse putaret. Verumenimvero, quae occupaverat, segnitie retinere non potuit, et postquam iterum iterumque belli finiendi occasiones omiserat, Octaviani constantia et Agrippae praestantia victus e Sicilia eiectus est, atque tandem dolis et perfidia sua mortem in oriente sibi properavit.

EXPLICATIO NUMORUM SEX. POMPEII.

1). SEX. MAGN. PIUS. IMP. Caput Cnaei Pompeii Magni, infra quod SAL.

Ab aversa parte: PIETAS; mulier stolata stans, dextra ramum, sinistra hastam transversam tenens.

Caput illud Magni Pompeii esse ab antiquitatis investigatoribus extra omne dubium positum est. Quod pietatis ergo et in memoriam patris Sextus in suis numis expressit; ad hunc enim pertinet huius numi epigraphe. MAGNi cognomen cum fratre haereditarium a patre sibi assumpsit ¹. PIVS nominari voluit tanquam patris et deinceps etiam fratris vindex, non ob pietatem erga patriam, ut hoc praesertim numo declaratur, utpote qui antequam de patria bene meritus fuisset, cusus fuit. IMPeratorem eum in Hispania primum se nuncupasse, postquam Asinium Polionem devicerat, probabilis est opinio ². Literis SAL.

1). Vd. supra diss. pag. 32. 2) Vd. diss. pag. 55.

significari *Salutem* Fulvius Ursinus ¹, *Salutarem* vel *Salve* Havercampus ²; *Salaciam* vero, deam maris, Neptuni sponsam, Vaillant ³, Eckhel ⁴, aliique suspicati sunt. Verior tamen Joberti interpretatio videtur, qua hic numus *Saldubae* in Hispaniae Baeticae urbe non procul a Munda a Sexto Pompeio cusus fuerit, dum post pugnam Mundensem adversus Asinium Polionem bellum gerebat ⁵, quam opinionem post eum idoneis argumentis rursus confirmavit Visconti ⁶. In Hispania ergo cusus videtur, tum propter rudem typorum fabricam, tum quod desint tituli, ut *Imperatoris Iterum et Praefecti Classis et Orae Maritimae Ex S. C.* quibus ille, postquam Siciliam occupaverat, nominari consuevit.

PIETAS fuit quoque Pompeianorum in pugna Mundensi tessera. Hanc autem, ut obiter moneamus, in nullo alio numo sic depictam vidimus.

Quatuor variae huic numo similes ectypae apud varios editores conspeximus. Unde colligere liceret, toties eum denuo cusum fuisse, nisi quid pictorum negligentiae, ad aliorum picturas, non ad similitudinem veri suas delineantium, et adulterinis numis dandum est. Pietas in nonnullis pateram pro ramulo tenet.

Mionnet, V. Cel., qui, ut rite rariores et pretiosi-

1) Fam. Rom. p. 206 n. 5. Cf. Parutae et Goltzii Sicil. numism., ed. repet. et auct. ab Havercampo, in Graevii thesaur. Sicil. tom. VIII, tab. 169, n. 48 et 49. explic. tom. VII, p. 1072. 2) In comment. ad Morell. num. fam., Pomp. tab. II, n. 5 et 6. 3) Num. ant. fam. in gente Pomp. n. 20 et 21. 4) Doctr. num. vet. VI. p. 27. 5) Science des Médailles II, p. 165; cf. sup. pag 55. 6) Iconographie Rom. I, p. 164.

ores numos significaret, octo raritatis gradus sibi finxit, hunc numum argenteum quarto gradu notavit, et septuaginta duobus francis argenteis sic dictis nunc vendi solere dixit ¹.

2). MGN; caput Iani bifrontis imberbe, lauro vel spicis coronatum.

Ab altera parte: PIVS; prora navis rostratae, inferne IMP.

Vultus hi ambo, ut solent in Iani capitibus, consimiles sunt inter se, et quidem ad omnia Cnaei patris vultus lineamenta formati sunt, ut omnes fere viri antiquitatis periti agnoverunt. Tria huius numi exemplaria, quorum duo satis pulchra, iisdem notis signata, sed diversis et iteratis ergo typis cusa, in regia collectione, quae Hagae-Comitis est, inspicere nobis licuit. Dolendum autem magnopere est, neminem, ubi numi reperti fuerint, locum annotasse. Magnum sane lucrum cum aliis, tum huic numo inde proflueret. Quamvis enim absentia titulorum hunc ante Siciliam occupatam cusum fuisse arguat, certi tamen aliquid statui nequit. Capitis etiam ornamentum incertum est; in altero enim numo, qualem hic depingendum curavimus, lauro, in altero spicis similis est ².

Prora navis potentiam eius navalem designat. De vocibus PIVS et IMP iam dictum est.

Aeneus hic numus e genere assium est, et ad horum normam Iani capite signatus ³.

1) De la rareté et du prix des Méd. Rom. I, p. 87.

2) Cf. Vaillant. I. I. n. 24, Morell. I. I. tab. I, n. 5.

3) Errorem typographicum, quo *argenteus* depictus est apud Fulv

Mionnet, qui, nescio cur, dubitavit, num Pompeianae genti attribuendus esset hiece numus, secundo raritatis gradu eum notavit, dixitque constare solere quatuor francis argenteis ¹.

3). NEPTVNI ; caput Pompeii patris, ante quod tridens, infra delphinus.

Ab averso latere: Q. NASIDIUS vel in pluribus Q. NASIDIV. Navis turgente velo cum remigantibus, superne astrum. Non Sexti, sed Magni Pompeii illam faciem esse, post Havercampi asseverationem ², nemo, qui numum inspexerit, negaverit. Inscriptio tamen NEPTVNI ad Sextum referenda est, cuius filium se praedicavit. Tridens et delphinus Neptuno proprii sunt. Ex hoc et sequentibus numis 4 et 6, in quibus ipsius Magni Pompeii vultus cum epigraphe *Neptuni* cernitur, veram Sexti mentem elucere, detexisse sibi visus est Visconti ³, ut scilicet Neptuni quidem filium se nominaret, non vero ita patrem suum Magnum Pompeium negaret, cuius revera documenta frustra apud scriptores quaeruntur; ut ergo non mortalis, verum dei filius haberetur, qui induere formam et corpus Magni Pompeii dignatus fuerat; quae opinio a Romanorum religione non aliena est. Praeclare quidem, obstat vero unus numus, in quo

Ursinum l. l. p. 204, una cum numo depinxit pictor apud Parutam in Graev. thes. Sic. l. l. n. 42. Exhibetur etiam ab Eckhelo in Catal. Mus. Caes. Vindob. II, gent. Pomp. n. 20, 21 et 22; et in Doctr. Num. VI, p. 27; et Visconti Icon. Rom. I, p. 156. ¹) l. l. I, p. 87. ²) In comm. ad Parutae num. Gr. et Rom. in Graev. thes. Sic. p. 1095 n. 44.

³) l. l. I, p. 159.

cum eadem inscriptione *ipsius* dei Neptuni imago exhibetur, quem sub n. 7 describimus.

Q. NASIDIUS classis praefectus Sex. Pompeii fuisse, inque honorem Imperatoris sui hunc numum cudisse videtur¹. Navis illa maritimas Sexti vires indicat. Astrum, quod iuxta navem conspicitur, est Dioscurorum, ut inquit Morellii commentator², felix navigantibus omen, nisi de Syracusarum symbolo accipere placet, in cuius urbis numis frequens est Apollinis astrum. Visconti illud alludere ad deorum auxilium putavit, quibus tempestate noctu orta, maxima Octaviani navium pars destructa fuerat³.

Argenteus hic numus in Sicilia post annum U. c. 712, ut videtur, quo Neptuni se filium praedicaverat, cusus est. A. Vaillantio idem tanquam aureus quoque citatur⁴, et alius insuper rarissimus argenteus, cum iisdem fere typis, sed cui ab averso latere pro una nave quatuor naviculae adsunt⁵. Alium denique iisdem ac nostri notis notatum, cui praeter tridentem etiam lituus, auguralis magistratus insigne, additus est, Mionnet tanquam recentioris aevi fabricam agnovit⁶.

4). CN. POMPEIUS. Eiusdem caput cum lituo. Ab altera parte: COS III, navis praetoria, infra quam NEPT.

1) Fulv. Urs. l. l. p. 207. cf. omnino pag. 130. 2) l. l. ad tab. II. n. 2.

3) l. l. p. 158. 4) In gente Nasid. n. 1; cf. gent. Pomp. n. 18.

5) In gente Nasid. n. 2 et Morell. ibid. n. 3. 6) l. l. I p. 87. Descriptus est hic numus etiam ap. Fulv. Ursin. p. 206 n. 2, et ap. Parut. in Graev. thes. tom. VIII, tab. 169 n. 44 et 45, et tab. 180 n. 151 et 152, cum Maieri et Haverc. comment. t. VII, p. 1071 et p. 1106.

Etiam hic numus a Sexto cusus est, ut patet ex inscriptione NEPT, quo nomine Magnum Pompeium semet ipsum appellasse nusquam apud scriptores legimus. Cnaeus Magnus ter Consulatum gesserat.

Argenteus hic numus rarissimus a Vaillantio didrachmalis esse dicitur ¹. Mionnet tamen mentionem huius non fecit.

5). MAG. PIVS. IMP. ITER. Caput Sexti modeste barbatum intra coronam querceam cum glandibus. Ab altera parte: PRÆF. CLAS. ET ORÆ MIT. EX. S. C. Caput nudum Pompeii patris, pone lituus, cui adversum est alterum caput nudum, pone quod tripus.

Unicuique numum ipsum inspicienti et comparanti illud caput non Cnaei Magni Pompeii esse mox patebit. Ipsius Sexti id esse omnia persuadent; primum barba sueto eius aetatis cultu promissa, luctus indicandi gratia ob bellum cum Octaviano repetitum, quasi nimirum invitus vetera reipublicae vulnera refricare cogeretur; deinde corona quercea illa, qua ob cives a se servatos dignum se iudicavit; porro caput Cnaei Magni cum lituo, quod in aversa numi parte agnoscimus ². Huic oppositus est Cnaei iunioris caput cum tripode, ut post virorum doctorum varias disceptationes dixit Visconti, tripodem illum referens ad Quindecimviratum, quo sacerdotio nonnisi nobiliores cives ornarentur ³. Quod proximum vero videtur; nihil enim hic a scriptoribus illustratur. Neque etiam

¹) I. l. gent. Pomp. n. 19. ²) Vid. Eckhel, I. l. p. 31. ³) I. l. p. 87.

quando IMPeratorem ITERum se appellaverit, apud ullum auctorem legimus. Recentiores post Vaillantium omnes illud posuerunt post victoriam navalem, quam de Caesare Octaviano ad Tauromenium reportavit; quos ego secutus sum in dissertatione mea pag. 112. At vero, postquam quatuor numerum genera his vocibus insignita, et quidem horum unum ter cusum 1 in collectione regia conspexeram, et tempus, intra quod hos numos cusos esse necesse fuit, computaram, dubitatio mihi orta est, num intra tam parvum tempus omnes hi numi cusi fuerint, et inquirere coepi, num aliud quoddam tempus cum hoc titulo melius conveniret. Quam quaestionem paullo fusius hic exponere opera dignissimum est.

Octavianus, Pompeium ab Agrippa proelio novissimo omnino superatum esse ratus, Tauromenium occupare cogitans, milites, quot classis capere potuerat, in Siciliam traiecerat. Sed ex inopinato Pompeii simul classis et exercitus apparuerunt, qui vespere tamen impetum facere non ausi sunt. Quum vero sequenti die Octavianus, Cornificio terrestribus copiis praefecto relicto, cum navibus in continentem redire et reliquas copias cum Messala arcessere voluerit, Pompeius aggressus eas vicit et fugavit. Aegre elapsus et vespere ad terram appulsus Octavianus eadem illa nocte ad Columnam Rheginam properans, Carri-natem in Liparam ad Agrippam traicere iussit, atque huic scripsit, ut celeriter Cornificio, in extremo discrimine versanti, auxilia mitteret. Hic interea, vic-

1) E nostris numis sextum.

tus inopia coactus, post aliquot dies, (qui multi esse non potuerunt, quum certe cibos sibi victori non defuturos esse putavisset), metuens, ne tandem fame opprimeretur, castris relictis iter ingressus fuerat septentriones versus, et post quatuor dies auxilia ab Agrippa missa offenderat, Mylasque pervenerat. Hanc enim urbem intra hocce tempus ceperat Agrippa.

Haec omnia satis superque docent, perpaucos dies praeterlapsos fuisse inter victoriam ad Tauromenium reportatam et amissas Mylas, intra quos dies tot varii numi cudi omnino non potuerunt. Iam post Mylas et fauces Mylenses amissas Pompeium numos cudisse nemo dicet; his enim cladibus proxime subsequuta sunt cum alia damna, tum ipsa ultima clades, qua e Sicilia eiectus est.

Necdum hic fuit maximus virorum doctorum error. Omnes ad unum, qui de hoc aureo numo scripserunt, coronamque querceam agnoverunt tamquam insigne, quo Sextus se dignum putaverat ob cives servatos, et qui dixerunt, eum post victoriam ad Tauromenium se *Imperatorem Iterum* appellasse, non viderunt, sic aureum hunc numum cusum fuisse debere sex vel septem annis post, quam illos cives servaverat! Ridiculum profecto!

Anno ergo u. c. 711 exeunte, vel anno proximo 712 ineunte, quum de civibus servatis bene meruerat, in cuius rei honorem et memoriam hic numus iure tunc cusus videtur, iam *Imperatorem Iterum* se nuncupaverat.

Nam quominus eum post foedus Misenicum vel alio tempore cusum esse dicamus, suadet absentia

imaginis vel vocis *Neptuni*, cuius filium eum non diu post se praedicasse diximus.

Quum autem ante annum U. c. 712 nullum Sexti facinus memorabile sit, nisi occupatio Siciliae, non multum a vero aberrare nobis videmur, si ponimus, Sextum Pompeium *Imperatorem Iterum* se appellesse statim post Siciliam occupatam.

PRÆFectus autem CLASsis ET ORÆ MARITIMAE EX Senatus Consulto creatus est a°. U. c. 711¹, cuius praefecturae munus etiamsi postea Octavianus abrogavit, nomen tamen retinuit, ut e sequentibus numis apparet.

Hic eximia pulchritudinis aureus numus perrarus est, quo factum est, ut multi eiusdem generis adulterini inveniantur, ut auctor est Mionnet, qui sexto raritatis gradu hunc notavit, et 400 francis argenteis constare dixit². Alium eiusmodi numum descripsit et conspiciendum dedit Visconti³, in quo non Sexti caput sed Cnaei Magni barbatum est. De huius probitate non dubitavit; iure vero de alio, descripto apud Liebe⁴, in quo abest corona, et capita ita sunt disposita, ut in antico latere solum patris caput, in postico latere filiorum capita inveniantur, et tamen lituus et tripus adsint, quem numum, etiam quoad opus, adulterinum esse iudicavit⁵. In dicta collectione regia pulcherrimum et haud dubie genuinum huius numi exemplar adest⁶.

1) Cf. diss. pag. 59. 2) l. l. p. 87. 3) l. l. p. 187, n. 12.

4) In Gotha numaria, p. 29. 5) Vd. quoq. Eckhel. l. l. VI, p. 30 sqq.

6) Hunc numum praeter eos, quos iam dixi, descripserunt Fulv. Ursinus, qui addidit, omnes huius generis numos, quot vidisset, Messanae vel Pa-

6). MAG. PIVS. IMP. IER. Caput Cnaei Pompeii Magni, ante quod lituus, pone quod urceus.

Ab altera parte: PRÆF. CLAS. ET. ORÆ MRIT. EX. S. C. Hinc et illinc fratres pii parentes effe- runt, inter quos medius Neptunus corona radiata insignis, dextra aplustrum tenens, dextro pede prorae navis insistit; post tergum ad ilia fascia dependet.

De inscriptionibus iam proxime dictum est. Urceus aequè ac lituus ad Cnaei Magni auguratum denotandum inservit. Neptunus dextra aplustrum sive ornamentum navis tenens, dextrum pedem prorae navis imponens, Sexti maris imperium universum significare videtur. Pii fratres Catanenses Anapias et Amphinomus, vel quo tandem nomine ab antiquis nominantur, parentes ex ignis profluentis periculo eripientes, Sexti pieta- tem designant erga patrem et fratrem. Ingeniose Vis- conti hunc typum a Sexto ideo electum fuisse dixit, ut illum opponeret typo cuidam, quem in numis suis cuderat adversarius Octavianus, Aeneam scilicet pa- trem cum filio et palladio ex incendio Troiae auferen- tem ¹. Eaedem prorsus fratrum imagines in numis urbis Catanae nonnullis conspiciuntur. Tacite his significatur, urbem hanc tunc a Sexto occupatam iam fuisse, qua de re apud scriptores diserta mentio non fit.

normi repertos esse l. l. p. 204. n. 1. Laudandus, et nimis neglectus mos! Vaillant. l. l. n. 16; imprim. Seguinus in diss. de num. p. 210 sqq.; off. Maier. ad Parut. tab. 168 n. 36 in Graev. thes. t. VII p. 1070 et Havercamp. ad tab. 179 n. 150, in. tom. VII pag. 1105, et ad Morell. tab. I, n. 6, ubi hunc numum anno U. c. 116 cusum esse putavit; Eck- hel. num. Caes. Vind. n. 9 et 10, Doctr. num. VI p. 30.

¹) l. l. p. 157.

Argentus hic est numus. Mionnet, qui hunc inter Cnaei Magni numos citavit, inscriptionem *praef. clas. et orae mrit. ex s. c.* paullum variare in variis huius speciminis numis, vendique solere octo francis argenteis affirmavit ¹.

Huius generis tres varie cusos numos exhibet regia collectio, quorum unus gerit Cnaei Magni caput ab utroque latere, sed hinc in altum, illinc in imum incisum, quales numos saepius observari norunt antiquarii.

Idem hic numus a Traiano restitutus est etiam argenteus, praeter dictam inscriptionem his verbis insignis: IMPERATOR CAESAR TRAIANUS AUGUSTUS GERMANICUS DACICUS PATER PATRIAE RESTITUIT, qui numus rarissimus depictus est apud Mionnet, et 300 francis argenteis venire dicitur ².

7). MG. PIVS. IMP. IER. Caput Neptuni barbatum, pone quod tridens.

In aversa parte: PRÆF. CLAS. ET ORÆ. MRT. EX S. C. In aliis: *Praef. orae mrit. et clas. s. c.* Tropaeum navale exhibens Scyllam monstrum, supra caput tridentem, pro dextro brachio proram, pro sinistro acrostolium s. aplustrum gerens, cuiusque corpus desinit in algam et canes latrantes, quibus inferne suffixa est ancora.

¹) l. l. p. 87. ²) l. l. p. 79. Vdd. quoque Fulv. Ursin. l. l. p. 206, n. 1, Vaillant. l. l. n. 17, Beger. p. 574. Spanhem. Praestant. num. II p. 184, Maier. ad Parut. l. l. tab. 169, n. 43, Morell. l. l. tab. II, n. 1, Eckhel. num. Caes. l. l. 11—14. et Doctr. num. VI, p. 28.

Caput illud Neptuni est, ut e tridente, barba, caeteroque cultu manifestatur, neque etiam quicquam cum Cnaei Magni effigie simile habet. Tropaeum illud ad victoriam ad Tauromenium pertinere dixerunt viri docti, impediti vocibus illis IMP. ITER, quemadmodum, numi notas non curantes, Sextum se post illam victoriam nominasse dictitabant ¹. At vero post ea, quae diximus ad num. nostr. quintum, explicatu facilius est. Non occulte eo significari mihi videtur victoria illa de Q. Salvidieno Rufo, praefecto classis Octaviani, quam reportavit ad Scyllaeum promontorium anno 712 U. c., post quod tempus se Neptuni filium nuncupasse coepit ². Sin vero quis hunc numum ad victoriam, quam de Calvisio Sabino reportaverit, referre maluerit, non refragabimur; nam utrumque e numi notis efficere licebit; melius tamen nostra ratio, ut in explicatione sequentis numi videbimus, cum notis convenire videtur.

Ingeniosa Visconti explicatio, de qua locuti sumus ad num. tertium pag. 150, optime quidem quadrat in caeteros quos habuimus numos; quomodo vero difficultatem, quam obiicit haecce ipsius Neptuni imago, expediat, non video. Praeterea Sextum ipsum illos

1) Commentator ad Morellii numum, l. I. tab. II, D., qui ab antica parte IMP. ITER. et a postica IMP. TERTIUM inscribitur, hoc post victoriam ad Tauromenium, illud post victoriam (!) paullo ante ad Mylas reportatam, factum esse posuit; cf. de hac victoria pag. m. 106 sq. Ad alium vero numum (tab. I, n. 6) alia rursus docuit, Sextum *Imperatorem Itorum* se appellasse post stragem quam passus primam fuit in freto Siculo Octavianus, a. U. c. 716, classe eius prius per Menecratem, Democharem et Apollophanem lacerata. De ipso numo vd. omnino Eckhel. doctr. num. VI, p. 29.

2) Cf. diss. pag. 62 sqq.

numos cudi iussisse, nullo certo testimonio constat; hunc vero ab illo ipso profectum fuisse omnia persuadent.

Hic numus argenteus, cuius pulcherrimum exemplar adest in collectione regia, a Mionnet inter rariores citatur et sex francis argenteis venire dicitur ¹.

8). **MAG. PIVS. IMP. IER.** Triremis, supra quam turricula rotunda fenestris instructa, cui superne insistit Neptunus, dextra manu tridentem tenens ², sinistro pede prorae navis imposito. In ipsa triremi conspicitur uncus curvus, iuxta proram aquila legionaria, ante puppim thyrsus et tridens.

A postica parte: **PRÆF. ORÆ. MIT. ET CLAS. S. C.**, sive in aliis: **EX. S. C.** Scylla, monstrum marinum superne virgo, duabus piscium s. delphinorum caudis tribusque canibus succincta, sublato remo ictum intentat.

Hac turricula significari naves turratas dixit Vaillantius; Havercampus vero monumentum esse in Neptuni honorem in litore positum existimavit. Illud propter ipsius turris formam minus placet, hoc maiorem aliquam verisimilitudinem habere videtur, perinde ac si ipse Neptunus ex alto navale certamen spectaret. Verum de tali monumento nihil usquam proditum est. Nobis de Columna Rhegina cogitare in mentem

1) I. I. p. 87. Cf. Fulv. Ursin. p. 206 n. 4; Vaillant l. I. n. 22; Maier. ad Parut. l. I. n. 47; Morell. l. I. tab. II, n. 4 et 3 ibique Havercamp.; Eckhel. num. Caes. l. I. n. 15—17; doct. num. VI, p. 28.

2) Sic Fulv. Urs. p. 206 n. 3. Dextra manu *hastam*, sinistra *delphinum* tenens Eckhel. num. Caes. l. I. n. 18 et 19, doct. num. VI, p. 28. Ab aliis relata referimus, quum ipsum numum inspicere nobis non contigerit.

venit, ubi inaudita tempestate maxima detrimenta passus est Octavianus, postquam Calvisius Sabinus eius legatus a Pompeio recens cladem acceperat, quam descripsimus pag. 88 sqq. Utut est, Seylla in postica numi parte locum designare videtur.

Argenteus hic numus venit sex francis argenteis, ut testis est Mionnet ¹.

Alii etiam inveniuntur argentei numi nomine Sexti Pompeii notati, qui tamen ob varias causas, partim iam a laudatis viris allatas, partim inventu non difficiles, huic nostro Pompeio non attribuendi esse videntur ². Eckhelus citat numum quinarium aureum (lege *argenteum*), quem inter Sexti nostri numos annumeravit ³. Pulcherrimum huius numuli exemplar cum aliis Sex. Pompeii numis humanissime conspiciendum et delineandum mihi praebuit J. C. de Jonge, Vir nobilissimus, regni Archivarius et regiae numismatum collectioni praefectus. In cuius antica parte conspeximus caput nudum, satis barbatum, cum inscriptione · S · POMP · ; in postica parte navem cum remigantibus et velo expanso, iuxta quod triquetra sic dicta, quae est signum Siciliae, constans tribus cruribus rotae instar in unum centrum concurrentibus. Quem numum, quamvis ex externis indiciis, propter rei numismatae universae imperitiam, tanquam adulterinum iudicare non audeam, ex internis tamen argumentis non solum Sexto nostro non annumerandum esse censeo, sed etiam num genuinus sit, vehementer dubito.

1) I. I. p. 87. Cf. quae de hoc numo dixerunt etiam Vaill. I. I. n. 23; Maier. ad Par. I. I. n. 46. 2) Vd. Fulv. Ursin. I. I. p. 206 n. 6; Vaill. n. 7 et 25; Morell. I. I. tab. III, n. 1. 3) Num. vet. p. 312; Doctr. Num. VI p. 30.

Caput enim neque cum Cnaei Magni neque cum Sexti faciei lineamentis, quae in aureo numo vidimus, qualemcunque similitudinem habet. Longe diversum est; quod tamen Eckhelum non impedivit, ut veram ibi exhiberi Sexti effigiem putaret. Deinde illud *Sextus* in nullo non solum Pompeii numo, sed in nullo etiam alio numo, quoad indagare potui, per unam literam *S.* notari vidi. Displicet etiam illud *POMP.*; in numis enim, quos ipsum eudisse constat, nunquam nomine gentili usus est. Ut vero magis etiam hunc numum Sexto Pompeio abiudicemus, facit absentia omnium earum vocum, quibus in caeteris omnibus numis superbire solebat. Triquetra enim illa in Sicilia numum eusum fuisse ostendit, ubi iam ab initio fere Sextum omnes illos titulos sibi assumis-
 demonstravimus.

THESES.

I.

Sex. Pompeii contra Triumviros bellum non pro libertate contra tyrannidem, sed de imperio inter aemulos fuit.

II.

Verissime Tacitus, Ann. I, 10, Sex. Pompeium ab Augusto imagine pacis deceptum esse dicit.

III.

Idem timidus in rebus adversis, in laetis tumidus fuisse merito dicitur.

IV.

Non Caesar Octavianus, sed Agrippa Sex. Pompeium devicit.

V.

Caesar Octavianus Augustus in periculis adeundis prudens, prudentior tamen fuit in iis evitandis.

VI.

Maecenas et Agrippa, ut Octavianus Caesar ad summam in republica potestatem pervenerit, praecipui auctores fuerunt.

VII.

In Cic. Ep. ad Att. XV, 7, non *Sex. Pompeius*, sed *Sex. Peducaeus* significari videtur.

VIII.

Apud Sueton. Tib. IV. : »*cum* (Antonio), *reconciliata pace*, (Tiberius Nero) *Romam rediit*;» omnes putandi sunt *Tib. Claudius Nero, Antonius et Octavianus*; non vero de pace Misenica cogitandum.

IX.

Minus vere Polybius II, 56: Τὸ τέλος ἱστορίας καὶ τραγῳδίας οὐ ταῦτόν, ἀλλὰ τοῦναντίον.

X.

Nego, quod de Appiano dicit Niebuhr (Vorträgen, bearb. v. Schmitz, a. d. Engl. v. Zeisz, p. 47): »*Appian kannte das Lateinische wenig*.»

XI.

Dio Cassius Appiani historias non consuluit.

XII.

Apud Appianum V; 117, pro ἡσθεῖς legendum coniūcio ἀχθεσθεῖς.

XIII.

Et V; 109, pro: καὶ αὐτὸς ἐπανήλθεν ἐς ἑσπέραν legendum ἐς Ἴεράν.

XIV.

Liber *de Bello Hispaniensi* non epitome esse mihi videtur, sed ab aliquo Iulii Caesaris gregario milite conscriptus.

XV.

In eiusdem libri cap. 8, Davisius, praeunte Lipsio, pro: »*propter terrae fecunditatem*» legens: »*infecunditatem*», non probandus est.

XVI.

Apud Plutarchum, Caes. 51, *Cornificius* ante *Antonium* legendus est.

XVII.

Gronovii emendatio ad Iustin. V, 1, pro: *ne victis Atheniensibus, ad se Lacedaemonii arma transferrent*, legendis: *ne, victis Lacedaemoniis, ad se Athenienses, caet.* non necessaria est; neque est Iustini error.

XVIII.

Hesiodae Theogoniae prooemium e diversis carminibus conflatum esse censeo.

XIX.

Quales Tribuni aerarii e lege Aurelia iudices fuerint, optime Madvigius docuit, opusc. II, p. 242, sqq.

XX.

Post Marquardtium et Zumptium de historia equitum Romanorum egregie meruit Beckerus, (Handbuch der röm. Alterth. II, p. 235, sqq.).

XXI.

E verbis Ciceronis, de legg. II, 25: *mortuos terra humare*, non colligendam, antiquissimis temporibus Athenienses sepelivisse, postea vero combussisse mortuos.

XXII.

Spartanorum *σπονδία* non fuisse institutum tam immane et temerarium, quam vulgo crediderunt, recte ostendisse videtur K. O. Müller, (die Dorier, tom. II, p. 42. ed. pr.)

XXIII.

Diligens grammatices studium iure haberi potest philosophiae *προπαιδεια*.

NUMI SEXTI POMPEII.

